



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

Liber XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLVIII.

GREGORIUS IV. PAPA.
LOTHARIUS I. IMPERATOR OCC.
THEOPHILUS IMP. OR.

§. I.

*Civitas Amoriensis a Musulmannis
capitur.*

Inter hæc Theophilus Imperator Musul-
mannis bellum inferens, ducto in in-
teriora Syriæ exercitu multisque in-
colarum millibus in captivitatem abstra-
ctis omnia vastabat. Tandem Sozope-
tram, * *Mutazem* Califæ patriam, obli-
dione cingit. Is datis ad Theophilum
litteris rogavit, ut in sui gratiam civi-
tati parceret. Sed obtinuit nihil; nam

Sæculum IX.
A. C. 841.

Post. Theo.
lib. III. n. 29.
Elmac. l. II.

c. 9.
* *Almutazem.*
Abulfar. p.
165.

Act. SS. 42.

Z 5

Theo-

Sæculum IX. Theophilus captam civitatem destruxit,
 A. C. 841. & plurimis civium jugulatis, reliquos
 vinculis dedit. Califa acerrime com-
 motus tantas, quantas nunquam antea
 Antecessorum ejus quisquam, coegit co-
 pias, & militum clypeis tesseram inscri-
 bi jussit, vocem *Amorium*, ut indicaret,
 statutum sibi, hanc urbem igne ferroque
 delere, in qua Theophilus natus erat.
 Amicorum proximi suadebant Theophi-
 lo, ut cives salvos vellet, & alio mitte-
 ret; ipse vero, ut honori & famæ suæ
 consulere, Aetium Patricium olim Ori-
 entis Rectorem duosque alios bello ce-
 lebres Duces Theodorum Craterum &
 Theophilum Baburzicum civitati præfe-
 cit, qui eam tanta fortitudine & milita-
 ri industria propugnarunt, ut hostium in-
 terfectorum millia septuaginta numera-
 rentur, etiamsi non ultra dies tredecim
 tenuisset obsidio. Tandem vero Mutazem
 usus proditoris, nomine Babuzicæ, per-
 fidia, ibi urbem aggressus, ubi pars mu-
 ri collapsa, eam superavit anno Hegiræ
 ducentesimo vigesimo tertio, JESU Chri-
 sti octingentesimo trigesimo octavo.
 Tunc vero civibus militibusque trucidatis
 solum præcipuos ex Ducibus retinuit,
 & Bagdatum (*) misit.

#. 34.

§. II.

(*) Ad Tigrim fluvium. Crevit ex ruinis Ba-
 bylonæ

§. II.

*Confessores Captivi.*Sæculum IX.
A. C. 841.

Illo reversus Califa captivos Græcos ferreis vinculis & pedicis adstrictos in specum detrudit obscurum adeo, ut nulla ferme lux incideret, & in meridie oculorum usu deficiente solam loquentis vocem cognoscerent. Nemo hominum ad eos admittebatur, nisi duri custodes; arcto pane & aqua refocillabantur, in nuda humo cubabant, vestes erant centones laceri pediculis scatentes. Non nunquam dabatur iis licentia exeundi ad colligendam stipem; tunc vero quemlibet eorum decem milites custodiebant, & iisdem in carcerem reductis, panis frangebatur & discutiebantur scutellæ, ne epistolas sibi traditas occultare possent.

Barbari, ubi conspexerunt captivorum corpora carceris squalore attenuata & viribus destituta, eorum Religioni insidari cœperunt, quippe Califa Doctores, qui inter Musulmannos eruditissimi habebantur, ad eos misit. Illi simulantes se sponte sua venire, cum a custodum Præfectis facultatem captivis colloquendi facile obtinuissent, pecunias vestesque

bylonis, cujus hodie pauca quæ supersunt rudera ad Euphratem unius diei itinere inde distant.

Sæculum IX. A. C. 841. stesque attulerunt, ut benevolentiam captarent. Dixerat enim Califa, parum sibi videri cepisse urbem, nisi etiam animas cælo lucraretur. Porro Christianis ad primam de fide sua abjiciendam mentionem exhorrentibus, dicebant Musulmanni: *Plane non eo loco sitæ sunt res vestræ, ut nos superbe repellere debeat. Audite saltem quæ afferimus, postea consilia nostra respicere licebit, si noxia sint. An non amatis liberos vestros, parentes, uxores, amicorum suavem consuetudinem, patriam denique vestram? porro unica vobis restat via ad hæc bona omnia recuperanda; si dissimuletis tantisper, si vos circumcidi patiamini, & cum Califa oratis. Tunc muneribus vos cumulabit, & belli vicissitudines vobis viam aperient, qua ad vestros & ad Religionem vestram redeatis.* Christiani responderunt: *Si eadem fors, quæ nobis hodie, vobis Mahometis cultoribus obtigisset, an quod modo Christianis consilium datis, ipsi essetis amplexuri? faceremus sine dubio,* responderunt Musulmanni, *nihil enim homini libertate jucundius.* Et quod dicebant juramento confirmarunt. Nos vero, reposuerunt Christiani, *consilium hac super re non recipimus ab hominibus, qui in ea, quam profitentur Religione, vacillant.* His dictis pudore confusos dimiserunt. Exactis paucis diebus adsunt alii, qui etiam

iam quaesito praetextu largiendi captivis eleemosynam commiserationem inter lacrymas testabantur. *Horrendum malum!* inquebant, *in magnum Prophetam Mahometem non credere. Miseri isti, quos conspicimus vinculis onustos, sunt Imperatoris sui affines, inclyti bello Duces, magnorum spirituum & exploratissimae fortitudinis viri, validis copiis imperabant; cur ergo tanta praesidia eis nihil profuerunt, nisi quod non noverint Prophetam, a cujus Servis devicti sunt? sed mirum non est, quod veritatem nesciant, quam nemo ipsos docuit, veniam meretur ignorantia.* Tum sermone ad captivos directo inquebant: *Relinquitte arctam viam, in qua ut ambuletis praecipit vobis Filius Mariae, ingredimini viam latam in hac & in altera vita, quam Prophetam magnus nobis ostendit. Num docet aliquid, quod fidem superet, dum dicit, Deum posse sibi servientibus in hac vita omnis generis voluptates, & in altera paradysum concedere? damnate vestram ignorantiam, & nolite Dei Beneficia respuere. Quia enim bonus est, cum videret, Jesu legem asperam & difficilem implere, onus esse humanis viribus majus, misit Prophetam suum Mahometem, ut detracto tanto onere homines per solam Fidem salvaret. Christiani modico risu sese mutuo aspicientes dixerunt: Quomodo vobis persuadere potestis, veram esse*

Saeculum IX.
A.C. 841.

Fides
Mahometanorum.

Sæculum IX. esse & Deo acceptam Doctrinam, quæ car-
 A. C. 841. ni omnis generis voluptates indulget? &
 rationem, nobilissimam hominis portionem,
 brutis affectibus subjicit? nullum profe-
 cto ejusmodi hominis & animalis ratione
 carentis discrimen est. Apagite! nihil
 nos a Jesu Christi charitate separet.

Haud multo post iterum veniunt alii
 ex ordine illorum, quos Musulmanni Fe-
 quirs appellant, nempe Monachorum.
 Hi captivis eleemosynam largiti, & sin-
 gulos osculati, postquam consedissent di-
 xerunt: *Pensate rem attentione dignam;*
quibus hodie Deus opitulatur, an Roma-
nis, an Musulmannis? an non colonis fer-
tilitatem agrorum concedit, & exerciti-
bus nostris victoriam? nunc vero justus
est Deus; tot bona non daret, nisi manda-
ta ejus servavimus, nec vos in potestatem
nostram tradidisset, nisi quia in ipsius Pro-
phetam credere recusastis. Christiani re-
sponderunt: Bona vestra venia quæstio-
nem proponemus. Si viri duo de possessio-
ne hæreditatis litigent, & unus quidem
clamet: mea est! sed testes nullos produ-
cat, alter autem verbis parcens complures
testes fide dignos producat, quid vobis vi-
detur? utri adscribenda est hæreditas? Re-
sponderunt Musulmanni: illi utique, qui
testes idoneos produxit. Tum Christiani:
Ecce! venit Jesus Christus, natus ex
Virgine, quod nec vos inficiamini, & tes-

stes produxit, omnes veteres Propbetas, qui ipsius adventum prædicarunt. Dicitis, Mabometem quoque venisse, & legem tertiam attulisse. An non novum Propbetam oportuisset saltem unius alteriusve Propbetæ veteris testimonium pro se producere? qui ipsum a Deo missum affirmasset? putatis, illud causæ vestræ prodesse, quod Principes vestri regna evertant, & provincias armis subigant. Verum enim vero aspiciate Persas, qui totum ferme orbem terrarum sibi subjecerunt, numerate victorias Græcorum, qui Persas devicerunt, recordamini Triumphos Romanorum, quorum imperium usque ad terminos orbis terræ prolatum. Edicite, num hi generis humani Victores veram Religionem sequebantur? quin imo plures Deos non ferenda insania adorabant. Deus quandoque Victoriâ tribuit sibi servientibus, quandoque, postquam eum offenderunt, permittit, ut vincantur, & flagello hominum impiorum ad castigandos filios utitur. Christiani septem non minus annis in teterrimo carcere languere coacti Deo gratias agebant, quod modum sibi suppeditasset præterita sua peccata expiandi, & pro conversione Musulmanorum orabant.

Interim *Mutazem* * alio nomine *Abu-Isaac* Samarræ, seu *Sermenrai*, nova Civitate, quam ad Tigrim decem duodecimve

Sæculum IX.
A. C. 841.

* seu ut supra
Almutazem.
Elmac. l. II.
cap. 9. Bibl.
orient. p. 308

Sæculum IX. cimve leucis a Bagdato distantem ædificaverat, naturæ debitum solvit anno Hegiræ ducentesimo vigesimo septimo, decima octava die mensis tertii, id est, sexta Januarii, anno Salutis octingentesimo quadragesimo secundo, ætatis suæ quadragesimo octavo, postquam annos octo, menses octo, & dies octo regnasset. Rudis erat, & literas formare nesciebat. Filius suus Aaron *Aluatec Abujasar* successit.

§. III.

Patriarchæ Orientis.

Elmac. eod. c. 9. Chr. orient. pag. 109. Sup. lib. XLVII. §. 41. Jacobus Patriarcha Jacobita Alexandriae anno quinto Regni *Mutazem*, Hegiræ ducentesimo vigesimo secundo, Jesu Christi octingentesimo trigesimo septimo obiit, eique successit Simeon, qui non plus uno anno Sedem occupavit. Anno deinde sequente ducentesimo vigesimo secundo, Jesu Christi octingentesimo trigesimo octavo Josephus in Monasterio S. Macarii Patriarcha eligitur, qui Sedem annis septendecim tenuit. Josepho sedente contigit, ut Metropolita Habecha seu Æthiopiæ, Jacob nomine, e Cathedra sua expelleretur. Cum vero exinde agris arentibus fames & pestis illud Regnum affligerent, Rex per legatos a Josepho Patriarcha veniam facti petiit, rogavitque, ut Metropolitam remitteret, qui

qui rediens inter maximæ lætitiæ signa ^{Sæculum IX.}
 exceptus est. Inde dispicimus Abyssinos ^{A. C. 842.}
 Christianos Jacobitarum de Secta fuisse.
 Josephus Patriarcha Episcopos a se or-
 dinatos in Pentapolim & Africam ad Oc-
 cidentem misit. Sedem Patriarchæ Mel-
 chitæ Alexandrini tenebat Sophronius
 Christophoro defuncto, anno quarto *Mu-
 tazem*, Jesu Christi octingentesimo tri-
 gesimo sexto ordinatus, vir doctus & Phi-
 losophiæ amans. Sedit annis trede-
 cim.

Job Patriarcha Melchita Antioche-
 nus etiamnum inter vivos agebat, Dio-
 nysio Sedem Patriarchalem Jacobitarum
 in eadem civitate tenente. Jerosolymæ
 Joannes Patriarcha Melchita anno septi-
 mo *Mutazem*, Salutis reparatæ octingen-
 tesimo trigesimo nono, ordinatus Sedem
 non ultra annos tres obtinuit. Cum
 enim cives Jerosolymitani seditione com-
 mota ei varia & gravia objicerent, po-
 puli furorem pertimescens Sedi suæ da-
 tis litteris renunciavit. Hæc sunt, quæ
 de rebus Ecclesiarum Orientalium sci-
 mus.

§. IV.

*Theophili Obitus. Michael Impe-
 rator.*

Constantinopoli Theophilus Imperator *Post. Theo.*
 amissæ civitatis Amoriensis dede-
l. III. n. 34.
Hist. Eccles. Tom. XI. A a core,

Sæculum IX.
A.C. 842.

core, & quod Califa pecuniam pro redemendis captivis accipere nollet, tan acriter commotus est, ut viscera exardarent; unde cum ut sitim intolerabilem sedaret, aquam solutis nivibus gelidam bibisset, alvo cita laborans vigesima Januarii anno octingentesimo quadragesimo secundo, postquam regnasset annos duodecim & menses tres, extinctus est. Invidiam ejus memoriæ creavit illa crudelitas, qua tota vita sua Sacras imagines & viros Catholicos est persecutus. Non nunquam tamen se justitiæ amatissimum ostendit. Musicæ artis peritissimus videri cupiens, Hymnos & versiculos ingenii sui partus in Ecclesiis decantari præcipiebat. Imo aliquando, cum Festum præcipuum celebraretur, in majore Ecclesia Constantinopolitana propria manu totius chori cantum moderatus, & in rei memoriam centum libras auri Clericis donasse fertur.

Post. Theo.
lib. VI.

Theophilo successit Michael filius etiamnum infans sub tutela Theodora matris suæ. Addiderat Pater tres viros, qui a consiliis essent, Theodistum Eunucho præcipuis in Regia officiis fungentem, Bardam Patricium Imperatricis fratrem, & Patruum ipsius Manuelem, officiorum in aula Magistrum, qui ex Armenia ducebat originem. Eum cum in illa Provincia copiis præfisset, &

quorundam Abbatum e diversis Mona-
steriis amicitiam coleret, accurate edo-
cuerant Præsules, quænam de imaginum
cultu Catholica esset Doctrina. Morbo
deinde correptum inviserunt Monachi,
promiseruntque, ipsum cito valetudi-
nem recuperaturum, si cultum Sacrarum
imaginum restitui curaret. Id pollicitus
brevissimo tempore sanitatem recepit.

§. V.

Iconomachicæ finis.

Itaque Manuel communicato cum duo-
bus aliis Imperatoris Tutoribus con-
silio cum persuasisset, piissimo negotio
hujus Principis Regnum felicissime esse
inchoandum, etiam Theodoram Impe-
ratricem adit, & quid Tutores cuperent,
aperit. *Illam, diu est, quod hoc ipsum ex-
opto, respondit, & nunquam hoc proposi-
tum abjeci, sed huc usque, ne facerem, a
multitudine Senatorum & Magistratum,
Hæresi Iconoclastarum faventium, a Me-
tropolitibus & imprimis a Patriarcha pro-
hibita sum. Ipse enim erroris hujus, quem
Imperator Conjux meus a parentibus ac-
ceperat, semina tunc facili labore suffo-
canda fovit, eumque suo hortatu impulit,
ut tot viros Sanctos crudelissime haberet.
Quid vero modo obstat, ait Manuel, quin
populo maximæ lætitiæ argumentum con-
cedas?* Illico Theodora ministrorum

Sæculum IX. quemdam vocat, nomine Constantinum,
 A. C. 842. mittitque ad Joannem Leconomantam
 Patriarcham, cui suo nomine diceret
Monachi complures alique Viri pii bellum mihi obtulerunt, rogantes, ut sacrarum imaginum cultus restituatur. Si consentis, reddatur Ecclesie pristinus decor, si recusas, relinque Sedem, excede Constantinopoli, & in domum tuam, quam ruri habes, te confer, donec celebretur Concilium, in quo præsens sis. Non in iudicium vocaberis, & errorem tuum dedoceberis.

Constantinus, ubi in Palatium Patriarchæ pervenit, admissus in triclinium, eum in lectulo meridianem invenit, cumque, quæ ab Imperatrice jussus erat, nunciasset, Joannes id solum respondit, se suos ad consilium adhibiturum, statimque dimisit. Illo egresso, Patriarcha scalpellum arripit, sibi ipsi in ventre venas aperit, quo multum sanguinis efflueret sine vitæ periculo. Unde uno pene momento rumor Ecclesiam implevit, missos ab Imperatrice sicarios, qui Patriarcham interficerent. Id ipsum denuntiantium clamor prius ad Regiam pervenit, quam Constantinus rediisset. Confestim mittitur Bardas Patricius, ut in facinus perplexum accurate inquireret. Is certis indiciis deprehendit, non ab inimica manu vulnera esse facta. Suspicio-

spicionem confirmavit familiæ testimo- Sæculum IX.
 nium, atque scalpellum exhibitum. Ita- A. C. 842.
 que Joannes turpissimæ fraudis convictus
 ex Ecclesia ejicitur, & ruri in domo sua
 quæ Psicha dicebatur, includitur.

§. VI.

*Methodius Patriarcha Constantino-
 politanus.*

Itaque jubente Imperatrice Concilium
 in Palatio congregatur, cui Episcopi *Or. in S. Ni-*
 frequentes interfuere; nam præter Ca- *ceph. Boll. to.*
 tholicos advenere complures ex nume- *7. p. 320.*
 ro illorum, qui prius Hæreticorum fa-
 ctioni adhærentes ad Episcopalem Digni-
 tatem ab iis promoti fuerant. In eo
 Conventu Sacrarum Imaginum hostibus
 anathema dictum, Concilium Nicenum
 secundum confirmatum, & Joanne Le-
 conomanta deposito Patriarcha Constan-
 tinopolitanus electus est Methodius, an-
 tea Imperatoribus Michaele Balbo & *Sup. Lib.*
 Theophilo pro Religione persecutionem *XLVI.*
 passus. Tunc vero Imperatrix Theodo- *XLVII.*
 ra dixit: *Cum vobis concedam, ut sacræ* §. 44.
imagines restituantur, rogo, ut mibi vi-
cissim gratiam concedatis, nimirum, ut *Post. Theo.*
Imperatori conjugii meo veniam illius *n. 4.*
peccati, quo in imagines injuriosus extitit,
a Deo obtineatis. Methodius totius Ec-
 clesiæ nomine respondit: *Potestas Sa-*
 A a 3 *cerdo-*

Sæculum XI. *cerdotalis, Augusta, in mortuos non extenditur. Claves cæli accepimus, (*) ut illud hominibus etiamnum in hac vita de gentibus aperiamus. Illud quidem verum est, quod possimus defunctos adjuvare, (**)* si peccata eorum fuerint levia, & ipsi penitentiam egerint. Sed illos absolere non possumus, qui in condemnatione manifesta mortui sunt. Reposuit Imperatrix: Imperatori marito meo morti proximo, ut potui, ante oculos posui, quam terribilia eum post mortem manerent, si in Hæresi perseveraret; scilicet privandum esse omnium precibus, cunctis

(*) Ex hac Doctrina omnium Sæculorum, de potestate clavium, quam hic Patriarcha Constantinopolitanus explicat, Veritas Catholica contra Protestantes confirmatur. Non enim diceret, sicut post paucas lineas dicit, vivos a Sacerdotibus absolvi posse non vero mortuos, nisi alibi esset & major vivos absolvendi potestas, quam simplex facultas pro illis orandi, aut declarandi, credere se, quod illis peccata a Deo remittantur, quod Episcopi de Theophilo mortuo, statim videbimus, declararunt.

(**) En, iterum testimonium ex Orientali Ecclesia contra Protestantes! & iterum premium Protestans Interpres dicens: Die lieben Altes haben nichts gewußt von einem Zegfeuer. Nam mortui adjuvantur a Sacerdotibus. Non in cælo, nec in inferno, ergo &c.

vum civium horrorem fore, atque seditio- Sæculum IX.
nis in vastissima urbe causam. Profes- A. C. 842.
sus est pœnitentiam & postulavit imagi-
nes. Cumque aliquas produxisssem, eas
tenero affectu osculatus est, & ita in ma-
nus Angelorum spiritum reddidit. Hæc
ita esse Theodora juramento confirman-
te Præsules de ejus sinceritate non du-
bitantes, & præsumentes, rem ita se ha-
bere, scripto declararunt, Deum mise-
ricordiam Theophilo impertiturum.
Complures tamen credidere, sine pœ-
nitentia mortuum esse, & Imperatricem
conjugali affectu deceptam hæc affir-
masse.

Methodius proinde Patriarcha Con-
 stantinopolitanus ordinatus anno octin-
 gentesimo quadragesimo secundo, Domi-
 nica prima Quadragesimæ secundum
 Græcos, secundum nos autem secunda,
 totam noctem orando cum Imperatrici
 & omni populo in Ecclesia S. Virginis in
 Blachernis transegit, unde, cum illuxis-
 set, cuncti inter publicas preces ad San-
 ctam Sophiam processerunt. Celebrata
 Missa, & Imagines solemni ritu restitu-
 tæ. Quibus omnibus peractis Impera-
 trix omnes Clericos & Confessores, qui
 tempore persecutionis ærumnas tolera-
 verant, ad convivium adhibuit. Hoc
 Festum Theodora quoad vixit celebrare
 non omisit, appellatum exinde Festum

Sæculum IX. Orthodoxiæ, (*) ac si quis diceret Religionis Catholicæ Restitutæ, quod etiamnum Græca Ecclesia eadem die, nempe Dominica post primam Quadragesimæ hebdomadam, agit. In officio nocturno cantatur Hymnus compositus a Theophane Jerosolymitano Confessore, qui in præmium generosæ Confessionis & passionis Archiepiscopus Nicenus ordinatus est. In eodem Festo leguntur Acta, in quibus Iconoclastarum Hæresis Historia immixtis quibusdam fabulis refertur. Tempore matutino inter publicas preces procedit populus, vera Crux & Imagines præferuntur, cantatur Canon seu Hymnus, qui S. Theodoro Studitæ tribuitur; sed post ipsius mortem concinatus videtur.

Sup. Lib.
XLII. §. I.

Hæc omnia in *Trisodion*, quod Officium Græcorum Quadragesimale complectitur, occurrunt. Et in hunc modum Hæresis Iconoclastarum, orta sub Leone Isauro ante annos ferme centum viginti, extincta est.

§. VII

(*) Ideo etiam Iconoclastæ Heterodoxi dicebantur, quia, cum pronissima sit ab uno errore ad alium via, multi, ut vidimus, ad Hæresim Nestorianam, & in Occidente Claudius Taurinensis, ut videbimus, ad impietatem Arianam, deflectebant.

Jonæ Aurelianensis obitus.

Claudius Taurinensis, unicus in Occidente hujus Hæresis defensor, aliquo abhinc tempore nempe ante Imperatorem Ludovicum Pium fatis functus erat. Ex ipsius Commentariis in Scripturam solus ille in Epistolam ad Galatas typis vulgatus est; plura vero alia Manuscripta in diversis Bibliothecis, nempe, in Leviticum, in Librum Ruth, in S. Matthæum, in Epistolam ad Romanos, in duas Epistolas ad Corinthios, & in Epistolam ad Ephesios, asservantur.

Sup. Lib. XLVII. §. 20. Bibl. PP. Lugd. Lab. Script. p. 228 Mabill. I. Ann. p. 46. Dupin. 9. Siecl. Ch. I. p. 30. Jonas præf. in lib. de imag.

Cum Ludovicus Imperator ejus librum contra Theodemirum Abbatem de imaginibus accepisset, & viris eruditissimis, qui in Regia versabantur, examinandum tradidisset, illud minime approbavit, misitque Jonæ Episcopo Aurelianensi Excerpta, ut ea refutaret. Scribere cœpit Jonas; jamque ad umbilicum deduxerat hoc opus, cum comperit, Claudium e vivis abiisse. Tunc credens unacum ipso errorem esse extinctum, opus non absolvit. Postea vero cum viri fide digni Jonam certiores reddidissent, superesse non nullos Claudii Discipulos, eumque præter errorem contra imagines etiam Arianismum ab inferis revocasse, & de illa doctrina libros

Aa 5 scri-

Sæculum IX. scripſiſſe in tabulario Domus Episcopalis
A. C. 842. depositos, hac ex cauſa & hortatu pio-
 rum virorum excitatus opus ſuum abſol-
 vit, illudque, Ludovico Imperatore in-
 terea defuncto, Regi Carolo ejuſdem fi-
 lio, in cujus Ditione vivebat, inſcripſit.

Huic operi in tres libros diſiſo inſer-
 ta ſunt, quæ ex Apologia Claudii con-
 tra Theodemirum extraxerat, & ſpecie-
 tim ſingula refutata. Jonas viam tenet
 a Dungalio tritam & eadem ferme argu-
 menta aſſert. Aſſerit, imagines ſolum-
 modo ad rerum memoriam & doctrinam
 noſtram eſſe ſervandas, nullum vero illis
 cultum exhibendum. At nihilominus
 prohibet illos tanquam Idololatras (*) ha-
 beri, qui coram imaginibus in honorem
 Sanctorum preces peragunt eo quod Fi-
 dem S. Trinitatis confiteantur. Jonas
 obiit anno octingenteſimo quadrageſimo
 tertio, poſtquam Sedem Aurelianenſem
 tenuiſſet annis viginti duobus. Succes-
 ſit defuncto Agius.

Lib. I. p. 649
Mabil. præf.
tom. 5. art. n.
36. Coint. an.
843. n. 39.

§. VIII.

Ebbo in Sedem Remenſem reſtituitur.

Narr. Cler.
Rem. to. 2.
Duchêne p.
341. Flod.
lib. II. c. 20.

Ludovico Pio fatiſ functo Lotharius fi-
 lius ejuſ primogenitus, Rex & Impe-
 rator

(*) Doctrina illis Proteſtantibus ſalubris &
 neceſſaria, qui Catholicos Idololatriæ accuſare
 non erubeſcunt.

rator ex Italia Wormatiam venit. Cum ^{Sæculum IX.} ibi moraretur, Ebbo Archiepiscopus Re- ^{A. C. 842.} mensis ex Monasterio S. Benedicti ad Li-
gerim, ubi captivus detentus fuerat, e-
greditur, & cum Bosone illius loci Abba-
te Lotharium adit, qui eum publico de-
creto Ingelhemii, vigesima quarta Junii,
Indictione tertia, Regni Lotharii anno
primo ab obitu Patris sui, nempe anno
octingentesimo quadragesimo dato Sedi
suæ restituit. In eo dicitur, Ebbonem
supplicantibus ejus Ecclesiæ Fidelibus &
Episcopis ita judicantibus reduci. Et o-
mnino Episcopi viginti subscribere, in-
ter quos fama magis celebres sunt Dro-
go Metensis, cui ob Dignitatem Archi-
capellani primus locus competebat.
Deinde leguntur nomina quatuor Archi-
episcoporum Otgari Moguntini, Hettonis
Trevirensis, Amaluini Vefuntini, Au-
dacis Centronensis †, Baduradi Episcopi † ^{Tarenta-}
Paderbornensis, Josephi Ebroicensis & ^{fiani-}
Abbatis Fontanellensis. Episcopi pleri-
que erant Itali & aliqui Galli, qui Lotha-
rii partibus favebant. Hujus igitur De-
creti auctoritate nixus Ebbo in Sedem
suam solemniter a quatuor Suffraganeo-
rum suorum Rothado Sueffionensi, Si-
meone Laodunensi, Erpuino Silvanecten-
si, & Lupo Catalaunensi, restitui voluit, *Conc. Sueff.*
nam ceteri Suffraganei quinque non ade- *II. Act. 5.*
rant,

Sæculum IX. rant, quod nempe, ut a plerisque credi-
 A. C. 842. tum, a partibus Regis Caroli starent.

Sup. Lib.
XLVII.

§ 48. tom. 7.
Spicil. p. 175

Cum Ebbo in literis, quibus Sedi suæ renunciaverat, promisisset, se nunquam rediturum, jam reditum suum defendere conatus est edita apologia, in qua dicebat, non potuisse se canonicè deponi ex virtute illius abdicationis suæ, cui vi compulsus, omnibus Bonis suis spoliatus, captivus & morbo debilitatus subscripsisset. In ea nullum se crimen nominasse, ob quod deponi mereretur, nec gregem suum in ejus depositionem consensisse. Tandem septem annorum carcerem, quem sustinuisset, satis asperam pœnitentiam fuisse ad expianda peccata, quæ secreto fuisset confessus. Inde concludebat, quod ad Sedem suam etiamnum vacantem legitime redire poterit. An solide & bona fide scripta sit hæc apologia prudentis Lectoris judicio relinquo.

In ultima divisione, quam Ludovicus Pius filiis suis præscripserat, pro utriusque Regni Lotharii & Caroli termino Mosâ amnis positus fuerat. Verum Lotharius, cum esset natu maximus, omnia sub uno imperio conjungere cupiens non solum Mosâ, sed etiam Sequana superatis usque ad Ligerim exercitum duxit. Et tunc quidem, ut diximus, Ebbo ad Ecclesiam Remensem rediit, eamque
 anno

anno integro obtinuit, quo temporis spa-
tio aliquot Clericos ordinavit; deinde
autem Rege Carolo restauratis viribus
Belgium repetente Remis ultimo valedicere coactus ad Lotharium Imperatorem confugit.

Sæculum IX.
A. C. 842.

Exinde Ebbo ad Sedem suam unquam redeundi spe abjecta recepit Cathedram Episcopalem Hildesheimensem in Saxonia, sibi a Ludovico Rege concessam, Episcopis & Papa consentientibus, ibique usque ad annum octingentesimum quinquagesimum primum, quo obiit, munere Episcopali functus est. Ad conversionem Paganorum incumbibat, & sæpe S. Anscharium Archiepiscopum Hamburgensem in suis ærumnis, quibus in Missionem Suecica premebatur, excitabat & confirmabat.

§. IX.

Pugna ad Fonteniacum.

Ludovicus Rex ab Imperatore parente *Nithard. lib. suo in ultima divisione sola Bavaria 2. in fin.* contentus esse jussus, copiis suis Caroli vires contra Lotharium auxit, & hostilibus fratrum agminibus ad Antiffiodorensem Civitatem sub finem Junii anno octingentesimo quadragesimo primo in conspectu stantibus Ludovicus & Carolus varias pacis condiciones Lothario obtulerunt; quas cum omnes rejiceret, tandem

Sæculum IX. tandem in Festo S. Joannis denunciari
A. C. 842. jubent, nisi eas reciperet, altera luce ho-
 ra secunda ambos ad Dei Judicium (id
 est ad armorum discrimen) provocatu-
 ros. Ergo illa die, Sabbato, vigesima
 quinta Junii prope Fonteniacum pugna-
 tur, & Lotharii copiæ penitus profigan-
 tur. *Lib. 3. init.* Duo Reges in ipso victoriæ cam-
 po deliberarunt an fugientium ex acie
 tergis instarent, statueruntque, fratribus
 & populo Christiano parcere, cum spe-
 rarent, Deo suæ causæ manifeste favente,
 & accepta clade, Lotharium iusta suaden-
 tibus aures daturum.

Diem Dominicam celebrarunt in eo-
 dem loco, & Missa finita cæsos in acie
 amicos hostesve sepelire & faucios cu-
 rare cœperunt. Miserunt quoque qui
 fugientibus Regum nomine veniam of-
 ferrent, si bona fide ad officium redire
 vellent. Reges postea populusque Epis-
 copos consulunt, quid sibi faciendum,
 tot Christianorum necem dolentibus.
 Tum Episcopi, qui exercitus secuti fue-
 rant, conveniunt, & omnibus pensatis
 pronunciant, solius Justitiæ amore pu-
 gnatum fuisse, quod Divini Oraculi ju-
 dicium declarasset. Itaque illos omnes,
 qui aliquid ad hoc bellum vel consilio
 vel opera contulissent, innoxios esse, quod
 eorum ministerio Deus ad voluntatem
 suam implendam usus fuisset. Quem-
 libet

libet vero, cui conscientia objiceret, quod iracundia, odio, ambitione aut aliquo alio pravo affectu rem egisset, oportere secreto confiteri, ut pro gravitate peccati sui a Sacerdote judicaretur. Jejunium vero universale triduanum indixerunt, tum ut peccata sua voluntaria vel subreptitia, aut fratrum suorum occisorum expiarent, tum ut Divinum auxilium in futurum etiam tempus sibi pararent. Hoc jejunium lubenti animo servatum ab omnibus.

§. X.

S. Aldricus pulsus & restitutus.

Inter alias turbas, quæ Ludovici pii obitum secutæ sunt, eodem anno octingentesimo quadragesimo seditio contra Regem Carolum in Provincia Cenomanensi, ad ipsius Ditionem pertinente, commota recensetur. Aldrico Episcopo Cenomanensi semper Carolo Regi, cujus juventutem ne unquam destitueret a Ludovico parente ipsius rogatus fuerat, fidem servante, Sigismundus Abbas ad S. Calasium rebellibus junctus est, ut sententiæ a Ludovico Imperatore ante biennium latæ, qua istud Monasterium Episcopi Jurisdictioni subiciebatur, effectum eluderet. Ausi sunt rebelles ab Aldrico postulare, ut sibi fidem juraret, promittentes, se ea conditione ipsius Di-

Sæculum IX.
A.C. 842.

Gest. S.
Aldr. c. 52.
57. tom. 3.
Caluz. p.
140. 145.

gnita-

Sæculum IX. gnitatem defensuros, & non nihil adje-
 A. C. 842. cturos potentia. Verum Regi Carolo

Sup. Lib.
XLVII.
 §. 52.

in extremis adhaerentem eodem anno,
 Pontificatus sui octavo e Sede sua ejece-
 runt. Domus Episcopalis a seditiosis di-
 repta, equi numero octoginta, & pec-
 corum variorum corpora ducenta aba-
 cta, annona, quam hospitibus & paupe-
 ribus alendis comportari jusserat, ave-
 cta, hospitia septem ab Aldrico ædifica-
 ta, funditus everfa. Aliæ ædes relictae
 sunt imperfectæ, nempe Ecclesia Cate-
 dralis, etsi eam jam anno octingentesimo
 trigesimo sexto solemniter ritu dedicasset,
 claustra etiam Canonicorum, & quinque
 Monasteria. Non omnia illo tempore
 hospitia ad solos pauperes suscipiendos
 erant destinata; sed eodem nomine vo-
 cabantur omnes ædes, in quas pere-
 grini suscipiebantur. Et unam ejusmo-
 di Domum Aldricus Episcopus quoque
 condiderat, in qua advenientes Episcopi,
 Comites, Abbates diversabantur; imo
 huic hospitio juncta quoque erat Ec-
 clesia.

Gest. c. 44.
 p. 107.

Aldricus Episcopus rebus omnibus
 exutus sequebatur Carolum Regem, qui
 hoc primo anno Cenomanenses ad offi-
 cium compellere frustra conatus est;
 quippe majora alibi gerenda erant. At
 anno sequente octingentesimo quadrage-
 simo primo, Lothario ad Fonteniacum
 devi-

devicto, ipse in illam Regionem copias duxit, Episcopum in Ecclesiam Cenomanensem restituit, eique Monasterium S. Calasii sententia solemni ritu pronuntiatam reddidit.

Sæculum IX.
A. C. 842.

§. XI.

Fratres Regnum dividunt.

Anno sequente octingentesimo quadragésimo secundo duo Reges Ludovicus & Carolus amicitia conjunctissimi venerunt Aquisgranum Imperii Francorum Caput. Hanc civitatem Lotharius proelio victus petierat, & inde perrexit in Saxoniam; ubi ut jacturam militum repararet, rebus propemodum desperatis, Stilingis, numerosissimo Saxonum populo, potestatem fecerat, ut eligerent, an antiquis suis legibus, vel illis recentioribus, quas a Francis acceperant, vivere vellent. Ita populus ille, data sibi libertate usus, ad Idololatriam reversus est. Agros quoque Lotharius & fundos latissimos Herioldo Danorum Duci concessit, Christianos & Ecclesias Dominationi Gentilium subjiciens.

Nith. lib. 4.
init. Ann.
Bert. 481.

Itaque duo Lotharii Fratres, cum Aquisgrani versarentur, pensare cœperunt, quid de Provinciis a Lothario derelictis facerent, & visum est piissimis Principibus ad consilium adhibendos esse Episcopos & Presbyteros, qui non pauci nu-

Hist. Ecclesiast. Tom. XI. Bb mero

Sæculum IX. mero Reges sequebantur, eorumque sententiam, tanquam Dei voluntatem esse recipiendam. A. C. 842. Episcopi omnia Lotharii Acta ab exordio Regni ad examen vocant. Recensent, ab ipso Ludovico Parentem olim Regno pulsum, populum Christianum sæpius insatiabili cupiditate effecisse perjurum, sæpius fidem datam Patri fratribusque violasse, sæpius post obitum patris fratres hæreditate privare, & opprimere voluisse, tandem causam fuisse, quod innumera homicidia, adulteria, incendia in tota Ecclesia fuerint perpetrata. Sed nec Lotharium Republicam gubernandi scientia præditum, nec in indole ipsius quodquam bonæ voluntatis vestigium apparere. Ergo omnibus visum, ipsum justo omnipotentis Dei iudicio prælio victum, & postquam ex magna Regni parte fugisset, hanc a Deo fratribus ipso melioribus fuisse traditam. Non prius tamen permiserunt Episcopi, ut possessionem caperent, quam ambos Reges percontati fuissent coram omni populo, an in Regno administrando exemplum Lotharii fratris, vel Dei Voluntatem sequi vellent. Regibus respondentibus, velle se, in quantum Deus illis & nosse & posse concederet, secundum ipsius voluntatem tam se ipsos quam suos gubernare & regere, dixerunt Episcopi: *Nos igitur Auctoritate Divina,*

ut hoc Regnum suscipiatis, & secundum Dei Voluntatem illud regatis, monemus, hortamur atque præcipimus.

Sæculum IX.
A.C. 842.

Reges fratres deinde duodecim ex suis viros nominarunt, qui Regnum a Lothario tacite abdicatum in partes dividerent. Inter duodecim arbitros fuit Nithardus, qui illius temporis historiam scripsit. Is Regibus sanguinis propinquitate junctus Angilberti Comitis, deinde Abbatis ad Centulenses seu S. Richarium, & Berthæ, ex Carolo Magno genitæ, filius constanter juveni Regi Carolo adhæserat; sed tandem innumeris turbis, quibus Francia agitabatur, fatigatus ad dictum Monasterium Centulense se recepit, quod post Abbatem numero septimum, Ludovicum nomine, gubernare cœpit. Ecce vero, paucorum dierum Abbas Nithardus fuit, nam cum coactus fuisset contra Normannos arma arripere, in conflictu cecidit.

Sup. Lib. XLIV. §. 53

Chro. Cent. c. 9. & c. 10. to. 4. Spicil. p. 493. 500. 501.

§. XII.

Bernardi Archiepiscopi Viennensis obitus.

Bernardus Archiepiscopus Viennensis Lothario addictus eodem anno 842. e vita excessit. Is nobili genere natus & juvenis a parentibus ad nuptias pro modo compulsus consentiente postea uxore ad Monasterium Ambronia-

Boll. 23. Jan. to. 2. p. 544. Mabill. to. 6. Act. p. 561. Coimt. ann. 842. 1.

Sæculum IX. cense in Bugia, a se fundatum, confugit,
A. C. 842. ubi postquam aliquamdiu Monachus
 omnibus eximiæ humilitatis exemplum
 præbens, vixisset, Abbas eligitur. Trien-
 nio exinde elapso scilicet anno octingen-
 tesimo decimo eligitur Archiepiscopus
 Viennensis; quam autem Dignitatem
 non prius, quam a Summo Pontifice dis-
 strictum accessisset præceptum, accepta-
 vit. Hanc Ecclesiam zelo vere Episco-
 pali annis triginta duobus rexit, atque
 sub finem vitæ suæ fundavit Monaste-
 rium Romanense, quo sæpe secedere so-
 lebat, in eoque locum sepulturæ sibi de-
 legit. Obiit annos natus sexaginta qua-
 tuor in Dominica vigesima tertia Janua-
 rii, qua die in illa Diœcesi inter Sanctos
 colitur. Successorem habuit Agilma-
 rum antea S. Claudii Abbatem, qui Se-
 dem Viennensem annis octodecim te-
 nuit.

§. XIII.

Normanni in Francia.

Interim Normanni, fratribus totius Re-
 gni vires bello civili consumentibus,
 favente occasione usi oras Franciæ, quas
 Oceanus alluit, infestantes, prædas im-
 pune agebant. Normanni, id est viri
 Septentrione advecti, generatim diceban-
 tur Barbari Gentiles, qui ex Dania, Nor-
 wegia & vicinis regionibus veniebant.
 Tunc

Tunc vero Piratæ prope innumeri parva navigia remis velisque instructa ubicunque poterant appellentes, res captivosque abstrahabant. Anno octingentesimo quadragesimo primo, Indictione quarta, duodecima Maji ad illam oram appulsi, ubi Sequana undas in mare evolvit, civitatem Rothomagensis, & Monasterium S. Audoeni extra mœnia positum, diripiunt. Ubi Rothomago recesserunt, Monasterium Jumagensis incendunt, Fontanellenses autem dato pretio perniciem averterunt. Post triduum venerunt Monachi S. Dionysii, qui datis viginti sex libris captivos sexaginta octo redemerunt. Ultima die Maji Normanni spoliatis Ecclesiis & oppidis Sequanæ adjacentibus gravi pecunia onusti ad suas triremes redierunt.

Sæculum IX.
A. C. 843.

Chro. Fonten. Duches. to. 2. p. 387.
Chr. Norm. ibid. p. 524.

Anno octingentesimo quadragesimo tertio mense Junio ejusdem gentis piratæ, actis a mari in Ligerim fluvium navigiis, Nanetum invadunt, cumque nemo esset, qui civitatem defenderet, muros superant. Episcopus illius Diœcesis nomine Guihardus confugit ad Ecclesiam principem SS. Petro & Paulo sacram, cum omnibus Clericis suis, & Monachis Antrensibus ex vicina Ligeris Insula, qui in urbem se recipientes Ecclesiæ suæ thesaurum plane magnum intulerant. Maxima præterea populi multitudo non

Ann. Bert. 843. fragm. ibid. p. 386.

Sæculum IX. ex proximis modo oppidis, sed etiam ex
 A. C. 843. remotis civitatibus ad celebrandum Fe-
 stum S. Joannis Baptistæ confluerat.
 Cum igitur hostes urbem cepissent, iis-
 que repellendis plebs inermis impar es-
 set, omnes in hac Ecclesia se includunt,
 spe alia abjecta cæli misericordiam im-
 plorantes. Normanni disjectis portis
 & fenestris irrumpunt furiosi, & imbel-
 lem populum trucidant, paucis servatis
 quos navibus suis impositos, quasi jussu
 bello capta mancipia venundederunt.
 Episcopus in Ecclesia, Presbyteri quoque
 & Clerici interfecti, & Monachi in ipso
 altari mactati. Conspiciebantur parvu-
 li ab uberibus maternis pendentes & la-
 ctis loco sanguinem sugentes. Tem-
 plum Dei cædibus repletum. Tandem
 comportata præda Normanni lembos re-
 petunt, abstracta ingenti multitudine
 omnis conditionis, ætatis, & utriusque
 sexus captivorum, quos deinde Christia-
 ni multo auro e dira servitute libera-
 runt.

In Festo S. Petri iidem Grassatores
 in Insulam Antrensem delati Monasterium
 suis incolis vacuum destruunt & incen-
 dunt. Prædonibus dilapsis Episcopus
 Guihardi corpus ad Monasterium S. Sergii
 prope Andegavum translatum; ipse
 vero vigesima quinta Junii inter Marty-
 res colitur. Susan Episcopus Veneticus

*Boll. 25.
 Jun.*

sis Ecclesiam Nanetensem tot cædibus Sæculum IX.
pollutam ritu Ecclesiastico reconcilia- A.C. 843.
vit.

§. XIV.

Saraceni in Italia.

Eodem tempore, quo Normanni ab Oceano, Mauri seu Saraceni a mari mediterraneo Imperii Francorum littora infestabant. Anno octingentesimo quadragesimo secundo, adverso Rhodano advecti prope Arelatem e navibus descendunt, omnia diripiunt impune, navesque opimis prædis onustas in mare impellunt. In Italia dum Lotharius Imperator ultra Alpes contra fratres bellum movet, Radelgisus & Siconulfus de Ducatu Beneventano rixantur, cumque Radelgisus Saracenos ex Africa, & Siconulfus ex Hispania ad ferendum auxilium advocasset, & hi & illi in potestatem reductis compluribus civitatibus plurimos captivos avexerunt. Ut haberet, unde conductis ex Hispania Saracenis stipendia daret Siconulfus ad montem Casinum venit anno septimo Abbatis Bassatii, reparatæ salutis octingentesimo quadragesimo tertio, & thesauros prope omnes, quos Reges Francorum Pipinus, Carolomannus, Carolus Magnus & Ludovicus pius eo congesserant, abstulit. Ut primo venit, Cruces complures, cali-

Ann. Bert.
842. *Nith.*
lib. 4. sub fin.
Erehamp.
ign. Casin.
Chron. lib. I.
6. 25.

6. 26.

Sæculum IX.
A. C. 843. ces, patenas, coronas, aliaque vasa centum triginta libras auri exæquantia cum multis aliis Ecclesiæ ornamentis abstulit, promisitque se in compensationem mille solidos Siculi ponderis redditurum. Ut secundo venit Siconulfus, trecentas sexaginta quinque libras argenti, solidorum aureorum millia quatuordecim & complura vasa argentea avexit. Tercio post elapsum spatium octo mensium res ex argento fabricatas quingentis libris æstimatas exegit. Inde vix decem menses effluxerant; iterum adest quarto, & effracto Monasterii vestiario solidorum millia quatuordecim rapit, quæ ipsius nomine se reddituros esse Leo Episcopus & duo alii Dynastæ jurejurando polliciti sunt; quod cum deinde præstare nequirent, fundum possidendum Monasterio tradiderunt. Quinto & sexto irrumpens quatuor solidorum millia asportavit, & tandem septimo coronam auream Smaragdus distinctam a parente suo donatam, & tribus solidorum millibus æstimatam, adimi jussit. Inde pronum est conjicere, quantæ fuerint hujus Monasterii divitiæ.

§. XV.

*Gregorii IV. obitus. Sergius II.
 Papa.*

Anast. Gregorius quartus ineunte anno sequen-

quente octingentesimo quadragesimo Sæculum IX.
 quarto ad superos evolavit. Multas A. C. 844.
 Romæ Ecclesias reparavit & pretiose or-
 navit. In Ecclesiam S. Mariæ trans Ti-
 berim Congregationem Monachorum
 immisit, qui Officium Divinum diu no-
 ctuque peragerent. In usum Reipubli-
 cæ reparavit aquæductum, qui *forma*
Sabbatina dicebatur, atque in Palatio La-
 teranensi plura ædificia, Successoribus
 suis admodum commoda, præter cœ-
 tera balneum, & habitaculum idoneum,
 ubi post matutinos acquiescere possent,
 construxit.

Quinques ordinavit mensibus Mar-
 tio & Decembri, consecravitque per di-
 versa loca Episcopos centum octoginta
 quinque. Tandem undecima Januarii
 anno octingentesimo quadragesimo quar-
 to moritur, & in Basilica S. Petri sepeli-
 tur, postquam annos sexdecim Ecclesiam
 rexisset. (*) Vacavit Sedes diebus quin-
 decim, tumque Die Dominica, vigesima
 septima Januarii Archipresbyter Sergius

Sup. Lib.
XLVII.
 §. II.

Bb 5 Papa

(*) Scripsit Gregorius IV. plures Epistolas,
 quæ extant in Actis Conciliorum. In prima, ad
 universos Episcopos directâ, de Romani Pontifi-
 cis potestate differit in hunc modum: *Quæ* (Ec-
 clesia Romana) *sic vices suas aliis impertivit*
Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis,
non in plenitudinem potestatis.

Sæculum IX. Papa ordinatur. Is patria Romanus, al-
A. C. 844. terius Sergii filius, patre orbatus, cum
 necdum pueritiam fuisset egressus, ma-
 gna cura a matre educatus est. Cum
 vero duodennis etiam matrem amisisset,
 Leo tertius Papa, qui Sergii adolescen-
 tis nobilissimum genus, & elegantissi-
 mum ingenium non nesciebat, ad se vo-
 catum, habuit carissimum, & Scholæ
 Cantorum, in Musica & liberalibus liti-
 ris erudiendum tradidit, & quia puero-
 rum nullus Sergii solertiam æquabat,
 eum Ecclesiæ Romanæ Acolythum con-
 stituit. Stephanus Leonis Successor Ser-
 gium sibi Subdiaconum ordinavit. Pau-
 lo post Paschalis successit, a quo vita e-
 ruditione moribusque adornatus Tituli
 S. Silvestri Presbyter consecratur. Tan-
 dem Archipresbyter a Gregorio IV. cum
 ille obiisset, & Optimatibus populoque
 ad eligendum Papam congregatis, ab al-
 liis alii ad Summum Pontificatum pro-
 movendi nominarentur, audito Sergii
 nomine, confestim omnes exclamare,
 Sergium Archipresbyterum, virum de
 Ecclesia optime meritum, dignum esse,
 qui in Cathedra Petri collocaretur.

Ergo omnibus consentientibus, ut
 Sergius eligeretur, quidam Romanæ Ec-
 clesiæ Diaconus, nomine Joannes, coe-
 cta plebis stupidæ & rebellis manu por-
 tas Palatii Patriarchalis Lateranensis per-
 fodit,

fodit, & cum armatis irrumpit. Primo ^{Sæculum IX.} quidem impetu attoniti, qui in Palatio ^{A. C. 844.} erant, trepidabant, mox autem plebs illa temeraria mutata vice perterrita, Joanne Diacono prodito, dilapsa est. Quamprimum de hoc tumultu ad Optimates Romanos relatum, pars pedibus, pars equis vecta, appropierant, apud Ecclesiam S. Martini congregantur, Sergium honorifice, & innumerabili populi multitudine comitante in Palatium Lateranense deducunt, Hymnos & carmina Ecclesiastica decantant. Ita Sergius solemniter electus. Eadem die tanta vis nivium nubes effuderunt, ut Urbs omnibus candidata videretur, quod multi dicebant gaudii & claritatis esse indicium. At Joannem Diaconum Urbis Romanæ Principes ex Laterano turpiter ejectum in arctissimum carcerem detrudi præceperunt, atque honore Diaconatus privari ex Episcoporum sententia. Alii ensibus membratim dilaniandum, & interimendum clamabant; sed tantam crudelitatem Sergius Papa prohibuit, qui maxima omnium ordinum lætitia in possessionem Sacræ Sedis immissus est. (*)

§. XVI.

(*) In Palatio hæc leguntur: *Mutavit nomen Sergius II. cum creatus est Pontifex, cum antea*

Sæculum IX.
A.C. 844.

§. XVI.

Ludovicus junior Romæ.

Ann. Bert.
844. Luitpr.
vit. Pont.

Lotharius Imperator audita Sergii non electione modo, sed etiam consecratione, quin sibi res tanta communicata fuisset, subiratus misso in Italiam Ludovico filio suo natu majore, comitante patruo suo Drogone Episcopo Metensi, vetuit, ne impostero sine suo permisso, & Legatis suis non præsentibus, Papa ordinaretur, sed mos sub regno parentis sui & avi, peculiariter ut in Electione Gregorii IV. introductus erat, servaretur, & jam tunc Ludovicum filium Regem Italiæ appellavit. Præcepit etiam, ut magna caterva Episcoporum, Abbatum & Comitum proficiscentem sequeretur; quorum adventum Sergius Papa cum cognovisset, omnes Magistratus in occursum juvenis Regis ad ferme novem ab urbe millia misit, & cum ad unum miliarii spatium appropinquasset, omnes mili-

antea OS PORCI diceretur, ad evitandam nominis turpitudinem, juxta Polonum, Simonetam, & alios recentiores. Ex antiquis nemo concordat; unde ab Anastasio non recedendum, qui etiam ante adeptum Pontificatum appellat Sergium. Sergius quidem III. fuit, qui primus nomen mutavit ob reverentiam Principis Apostolorum, cum antea diceretur Petrus.

militiæ scholas cum suis Reſtoribus lau- Sæculum IX.
A. C. 344.
des nobiliſſimo Rege dignas canentes.

Græci quoque cum Romanis mixti Im-
peratorem patrem laudabant. Tandem
etiam Papa Cruces & Signa, quibus Im-
peratores aut Reges ſuſcipere mos erat,
obviam ferri juſſit, unde Rex juvenis a-
lacris factus & valde lætatus dicitur. Ita
cum omnibus ſuis ad Baſilicam S. Petri
procedentem die Dominica poſt Pente-
coſtem octava Junii anno octingentefimo
quadrageſimo quarto Papa cum omnibus
Clericis in gradibus Eccleſiæ expecta-
bat; ipſe ſuperatis gradibus Pontificem
amplexus eſt, ejuſque dexteram tenens
atrium interius ingreſſus pervenit ad Ec-
cleſiæ portam, quæ erat argentea. Pa-
pa tam iſtam quam ceteras omnes januas
claudi juſſit, dixitque ad Regem: *Si ſin-
cera voluntate pro Salute Reipublicæ &
Eccleſiæ huic adveniſti, has mea juſſione
januas ingredere, ſin aliter non permit-
tam, ut tibi aperiantur.* Reſpondit Rex,
ſe pravo animo minime adveniſſe. Tum
patefactis januis intrant omnes, cantan-
tibus Clericis, *Benedictus qui venit in
nomine Domini!* additis aliis canticis in
laudem Regis. Coram Confefſione Bea-
ti Petri cuncti in terram proni ſe demit-
tunt, & oratione a Pontifice pronuncia-
ta diſcedunt.

Inte-

Sæculum IX.

A. C. 844.

Interim Regis exercitus castris circa mœnia civitatis positus agros, segetes, prata vastabat. Forſan in pœnam, quod Romani Imperatore inconſulto Papam ordinaffent. Hoc negotium diebus poſtea ſequentibus in urbe agitatum Episcopis, qui cum Rege advenerant, congregatis, ut quæſtionem ad examen vocarent, an valida eſſet Sergii ordinatio. Numerantur viginti tres, omnes Itali, excepto Drogone, qui ipsis præerat. Deinde nomina duorum Archiepiſcoporum Gregorii Ravennatensis & Angilberti Mediolanensis leguntur, ubi etiam nomina ſeptem Comitum occurrunt. Poſtquam aliquamdiu tenuiſſet contentio, Sergii Ordinatio confirmata eſt, poſtularuntque Franci a Pontifice, ut omnes Primates Romani Ludovico Regi fidem jurarent. Verum obſiſtente Pontifice & dicente, ſe ſolummodo conſentire, ut hoc Sacramentum Lothario Imperatori præſtaretur, demum in Eccleſia Optimates Romani Francique fidelitatem Lothario Auguſto ſolemni ritu promiſerunt. Itaque Lotharius Imperator Urbis Supremus Dominus agnoſcebatur.

Ann. Bert.

844.

Cauſa, propter quam Ludovicus Rex venerat, finita, Papa eum Die Dominica decima quinta Junii in Baſilica S. Petri coronavit, ſacro oleo unxit, coronam & enſem tradidit, & Regem Longobardorum

rum proclamavit. Ceterum hæc sim-
 plex cæremonia fuit, & Anastasius Bi-
 bliothecarius Ecclesiæ Romanæ, qui hæc
 refert, tam ante quam post hanc coro-
 nationem Ludovicum Regem appellat.
 In illa Romana profectioe Sergius II.
 Drogonem Episcopum Metensem, Impe-
 ratoris patrum, datis litteris Vicarium
 Apostolicum in omnibus Provinciis trans
 Alpes cum Jurisdictione in omnes Me-
 tropolitas & potestate Synodos genera-
 les convocandi, a quibus tamen ad Pa-
 pam appellare liceret, constituit.

Sæculum IX.
 A. C. 844.

to. 7. Conc.
 1799.

Anast.

Post hæc Ebbo Archiepiscopus Re-
 mensis, & Bartholomæus Archiepiscopus
 Narbonensis, honore Sacerdotum priva-
 ti & ab Ecclesia expulsi, quod in Ludo-
 vicum pium conjurassent, cum Ludovi-
 co Rege juvene & Drogone Episcopo
 Romam profecti a Sergio Papa postula-
 bant, ut eos Ecclesiæ restituere dignare-
 tur, & Pallium denuo concederet. Sed
 rejecta est eorum postulatio, & nihil a-
 liud quam communionem inter Laicos
 impetrarunt. (*) Legimus, Berarium
 jam illo anno in Cathedra Narbonensi se-
 disse;

Flod. II. hist.
 c. 40. Coint.
 an. 844. n. 37.

(*) De Ebbone superius numero VIII. di-
 ctum, quod accepto Episcopatu Hildesheimen-
 si, quoad vixerit, munere Sacerdotali functus
 fuerit; ex hoc autem loco dispicitur, illud con-
 tra fas, & Summo Pontifice invito factum.

Sæculum IX. disse; Sedes vero Remensis demum anno
A. C. 844. no sequente vacare desit.

Anast.
Ann. Bert.
844.

Ludovico Rege Romæ adhucdum commorante Siconulfus Beneventanorum Princeps cum magno exercitu Romanam venit, seque Regi submitit. Unde totus illius Ducatus populus sub Siconulfi signis conjunctus facilius Saracenos expulit.

§. XVII.

Lupus Abbas Ferrariensis.

Sub idem tempus Rex Carolus obsidebat Tolosam occupatam a Guilielmo Bernardi filio, qui pro Pipino Caroli nepote Pipini Regis Aquitaniæ filio pugnat. Cum vero Pipini agmina Franciæ copias subsidiarias, quæ ad Regem Tolosana civitatis mœnia oppugnantem iter faciebant, obvias habuissent, structis insidiis in imparatas irruunt, & fœdemulctant. Duces vel occisi vel capti, ceteri pedibus salutem quæsierunt. Inter mortuos recensebantur duo Principes Regio sanguine orti, scilicet Hugo Presbyter Abbas ad S. Quintinum & ad S. Bertinum, Caroli Magni filius, Regum patruus, & Riboto Abbas Centulensis Caroli Magni ex filia nepos. Ebroinus autem Episcopus Pictaviensis & Archicapellanus Regis Caroli, Ragenarius Episcopus Ambianensis, & Lupus Abbas Fer-

Ferrariensis in hoc proelio capti. Inde liquet, Presbyteros, imo & Episcopos Optimatum laicorum more militasse. Ad id ipsum vero teneri ob possessionem Feudorum suorum credebantur.

Sæculum IX.
A. C. 844.

Ann. Fuld.
844.

Ceterum hoc proelium anno octingentesimo quadragesimo quarto septima die Junii initum est.

Lupus haud pridem regimen Monasterii Ferrariensis in Vastiniensi territorio alio nomine *Betlebem* dicti & S. Petro dedicati in se suscepit, qui ex primis illius Regionis stirpibus natus creditur. A puero literarum studiis imbutus vitam Monasticam in illa Domo sub Aldrici Abbatis, postea Archiepiscopi Senonensis, disciplina amplexus est. Diaconum ordinatum Aldricus misit in Germaniam, ut Fuldæ, Abbate Rabano Magistro, tunc celeberrimo in Doctrina sacra & profana perficeretur. Lupus scientiarum laude brevi inclaruit & plurimos sibi amicos conciliavit, cumque tam virtutis ejus quam doctrinæ maxima esset existimatio, in conspectum Ludovici pii & Judithæ Imperatricis perductus, perbenigne exceptus est. Anno sequente ab Imperatrice vocatus ad Regiam cum amicis augurabatur, brevi se ad altiores dignitatum, & honorum gradus evehendum. Nec in totum spes fellit, nam Ludovico Imperatore fati-

Baluz. not. in Lup. init.

Epist. 6.

Hist. Eccles. Tom. XI. Cc fun-

Sæculum IX.
A. C. 844.

functo, Odonem Abbatem Ferrariensem
magnorum criminum reatu inquinatum
iratus Rex Carolus Abbatia privavit,
eamque Lupo jam Presbytero contulit.
Is igitur a Monachis vigesima secunda
Novembris anno octingentesimo qua-
dragesimo quarto electus, & die sequen-
te a Rege confirmatus. In illa vero
Congregatione Monachi septuaginta duo
numerabantur.

ep. 21. & 42.

§. XVIII.

Capitulare Tolosanum.

to. 7. Conc. p. 1780. to. 2. Capit. p. 22. **R**ex Carolus Tolosa ad deditionem com-
pulsus Libellos Presbyterorum illius
Regionis contra suos Episcopos accepit,
& dum convocari posset Concilium, in-
terim remedium attulit edito Capitulo-
ri, novem articulos complectente, &
mense Junio anno octingentesimo qua-
dragesimo quarto dato. In articulo pri-
mo Rex prohibet Episcopis, ne aigre fe-
rant, quod Presbyteri ad se rem detu-
lissent. Tum illa mensura frumenti, vi-
ni, & aliarum rerum, quæ præscribitur,
contenti esse jubentur. Presbyteri has
præstationes ultra quinque milliaria de-
ferre non teneantur, eosque Episcopo-
rum famuli propterea vexare non au-
deant. Episcopi Dioeceses suas circum-
euntes diversentur in tali loco, quo Pa-
rochi vicini commode convenire possint.

6. 1.

6. 2.

Paro-

Parochus loci & quatuor alii ceteris viciniores annonam in hoc articulo præscriptam ad sustentandum Episcopum præstent, nec ministris eorum plura exigere, aut ullum in hospitis domo damnum inferre liceat. Semel tantum in anno Episcopi circumeant; saltem supradictas expensas a Presbyteris semel tantum percipiant. Item tunc tantum percipiant, si non per alium, sed per se Diocesim lustrent.

Episcopi Parochias Presbyterorum fordidi lucri amore non dividant, sed si necessitas populi exegerit, & ubi Parochias diviserint, etiam Parochorum expensas sibi præstandas dividant. Duas non plures Synodos & tempore auctoritate Canonum constituto celebrent. Magni momenti ideo est istud Capitulare, quia inde cognoscimus, quantum Episcoporum aliqui potestate sua abusi fuerint.

§. XIX.

Concilium Theodonis Villæ.

Mense Octobri ejusdem anni octingentesimi quadragesimi quarti tres fratres Lotharius, Ludovicus & Carolus prope Theodonis Villam congregati in loco, qui tunc iudicium, & hodie lingua vulgari *Jeust* dicitur, amicitiam fraternam inter se custodire & fovere, atque

Cc 2

pacem

Sæculum IX.
A. C. 844.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

c. 9.

Sæculum IX. pacem Ecclesiæ sua discordia perturba-
 tam aut pulsam reducere promiserunt.

A. C. 844.

Postquam in hunc finem convenissent
 Conc. to. 7. p. 1800. Capit. Episcopi, Drogone præside, sex articu-
 to. 2. p. 7. los condiderunt, qui Conciliorum De-
 cretis adnumerantur. In his articulis E-

6. 1.

piscopi Reges hortantur, ut imposterum
 concordiam & pacem inter se sanctissi-
 me colant, ut Ecclesiis ob præteritas ri-
 xas vacantibus Episcopos dent, aut eje-
 ctos restituant, ut Monasteriis virorum
 vel fœminarum, quæ potestati sæcula-
 rium commissa erant, Abbates vel Ab-
 batissas reddant, aut saltem Episcopos ad

6. 3.

curam eorum gerendam compellant, at-
 que ita facta tecta serventur, Officium

6. 5.

Divinum celebretur, Monachi alantur,
 ut edito Decreto generali prohibeant,
 ne quis Bona usurpet Ecclesiastica, ea
 tamen conditione, ut inde necessaria Rei-
 publicæ subsidia præbeantur, & tandem
 ut pristinam Ecclesiæ auctoritatem con-
 servent.

Reges hos articulos coram se recita-
 tos approbarunt, eosque se servaturos
 polliciti sunt.

§. XX.

Concilium Vernense.

to 7. p. 1805. Post bimestre mense Decembri anno 844.
 Cap. Conc. 2. ctingentesimo quadragesimo quarto,
 p. 13. Ap. jubente Rege Carolo, Vernelii ad Or-
 Lup. 195. sianam

fiam annem ab Episcopis Regni ipsius Sæculum IX.
A. C. 844.
 Concilium celebratum, cui Ebroinus
 Archicapellanus Episcopus Pictaviensis
 præfuit, etsi Venilo Archiepiscopus Senonensis præfens esset. Canones duodecim conditi. Atque in Præfatione monetur Rex, ut pacem cum fratribus habeat. Deinde rogatur ut Dei timorem, Officii Divini Decorem & Justitiam rebus omnibus præferat, in omnes Provincias missis Legatis scelerum patratores & Apostolicæ Disciplinæ contemptores coerceat. Præcipitur, ut in omnibus Diocæsisibus Monasteria visitentur, in quibus vel paupertas vel alia miseria disciplinam relaxaverat. Monachi vagi vel Apostatæ & Clerici desertores secundum Canones puniantur. Qui Sanctimonialibus sacrilegis nuptiis miscentur, excommunicentur, nisi publicam pœnitentiam subeant. Raptores sæcularis potestatis rigore terreantur. *Si quæ Sanctimonialibus, inquit Concilium, causa Religionis, ut eis falso videtur, vel vivilem habitum sumunt, vel crines attondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus.*

Quoniam quosdam Episcoporum ab expeditionis militaris labore valetudo eximit, aliis autem vestra indulgentia quietem largitur (hic sermo dirigitur ad Regem)

Sæculum IX. ges) *præcavendum est, ne per eorum ab-*
 A. C. 844. *sentiam res militaris dispendium patien-*
 tur. Itaque si vestra consentit Sublimi-
 tas, milites suos alicui ex Ducibus ve-
 stris committant, cujus auctoritate in
 officio contineantur.

Sup. Lib.
XLV. §. 26.

N. XVII.

Lup. ep. 41.
Sup. n. 17.

Ex hoc Canone dispicimus, illa Ca-
 roli Magni Decreta non amplius fuisse
 observata, quibus Viri Ecclesiastici exi-
 mebantur a præcepto per se militandi,
 quo propter possessionem fundorum suo-
 rum fuissent obligati. Et paulo ante
 Ebroinum Episcopum, nunc hujus Con-
 cillii Præsidentem, & Lupum Abbatem Fer-
 rariensem, qui hos Canones concinnavit,
 eodem anno in pugna ad Inculismam de-
 micantes vidimus. Postea Episcopi Re-
 gem rogarunt, ne Ecclesiam Remensem
 adhuc longiore tempore Episcopo priva-
 tam vellet, atque ut Ordinationem Agni
 Episcopi Aurelianensis ab Archiepiscopo
 Venilone anno superiore consentientibus
 Suffraganeis, testimonium bonæ fama
 dantibus Clericis, iisdemque & toto po-
 pulo idipsum postulantibus factam, con-
 firmaret.

Drogo Episcopus Metensis, & Lotha-
 rii Imperatoris Archicapellanus, in Re-
 gno Caroli secundum litteras Romæ a
 Sergio Papa impetratas tanquam Vic-
 rius Apostolicus recipi postulabat. Res
 autem hæc, quæ sine exemplo erat, pe-
 riculo

riculo non carere videbatur, si Episco-
 pus unius Regni in alterius Regni Epis-
 copos, ipsis non consentientibus, jurisdic-
 tionem haberet; cumque S. Gregorius
 S. Virgilio Arelatensi Vicariam potesta-
 tem in Gallias dedisset, eam solummodo
 ad Regnum Childeberti, Rege Episco-
 pisque consentientibus, fuisse extensam.
 Nihilominus Episcopi Concilii Vernen-
 sis postulatione Drogonis & meritis &
 genere venerabilis (erat enim Regum
 patruus) aperte non rejecta dicebant;
 hac super re non audere se quidquam
 definire, sed expectandum, donec Con-
 ventus, quam fieri posset, maximus Gal-
 liæ Germaniæque cogeretur, ut Metro-
 politarum aliorumque Episcoporum ex-
 quireretur sententia, *cui refragari, in-
 quiunt, nec volumus nec possumus. No-
 bis tamen, si tale Officium committi pot-
 est, & non alia quam quæ prætenditur
 latet causa, illi potissimum convenire vi-
 detur, qui & communione Sacerdotii no-
 bis, & Excellentiæ vestræ (nempe Regi)
 propinquitatis privilegio sociatur.*

§. XXI.

Miracula falsa Divione.

Eodem anno octingentesimo quadrage-
 simo quarto Alberico Episcopo Lin-
 gonensi vita functo Theobaldus succes-
 serat. Haud multo post tempore duo

*Amol. epist.
 ap. Agob.
 to. 2. p. 136.*

Sæculum IX Monachi, ut videri volebant, ad Eccle-
A.C. 844. siam S. Benigni Divione ossa afferunt,
 quæ alicujus Sancti esse dicebant, seque
 ea Romæ vel in quodam alio loco Italia
 accepisse, e memoria autem excidisse,
 quod esset Sancti nomen. Non credit
 Episcopus, recipiendas esse has Reli-
 quias non satis probatas, nec etiam te-
 mnendas; nam dicebant Monachi, se te-
 stimonia omni exceptione majora allatu-
 ros. Alter eorum abiit, ut ea quæreret,
 & non rediit. Alterum, qui Divione
 remanserat, mors abstulit. Interim his
 ossibus, quæ Sacræ Reliquiæ credebantur,
 secus sepulchrum S. Benigni honorifice
 depositis, nescio a quo in vulgus spargitur,
 patrari in eo loco miracula, foeminasque
 in ea Ecclesia derepente corrumpere &
 torqueri, quin in earum corporibus ullum
 deprehendi posset vestigium verberum,
 quibus se fuisse affectas dicebant. Cum
 rei insolitæ rumor de populo plurimos
 excitasset, ingens multitudo hominum ad
 miracula, ut putabatur, conspicienda
 confluxit, crevitque numerus mulierum
 usque ad trecentas quadringentasve,
 quæ ita ut retulimus in terram dejectæ
 ex Ecclesia exire volebant dicentes, se,
 si inde domum digrederentur, iterum
 prodigiose vapulaturas & ut ad eandem
 Ecclesiam reverterentur, compellendas esse.
 Erant vero non puellæ

puellæ modo, sed etiam nuptæ omnis æta- Sæculum IX.
 tatis & conditionis. Nec jam solum mi- A. C. 844.
 racula in Ecclesia S. Benigni, sed etiam
 in aliis Ecclesiis civitatis Divionensis &
 in Diœcesi, speciatim in Ecclesia S. An-
 dochi in oppido, quod vulgo *Saulieu* di-
 citur, fiebant. Quare cum Theobaldo
 Episcopo videretur, de hoc portento
 Amolonem Metropolitam suum Archi-
 episcopum Lugdunensem consulendum
 esse, Chorepiscopum suum, uno postquam
 illæ Reliquiæ allatæ fuissent anno, ad eum
 misit.

Amolon respondit in hunc modum:
Existimamus, ossa hæc, quæ sine argumen- p. 138.
to nescio cuius Sancti esse dicuntur, e San-
ctuario auferenda & extra Ecclesiam in
atrio subter murum, vel potius in circui-
tu alterius Ecclesiæ, secreto & paucis te-
stibus, in loco tamen mundo & decenti de-
ponenda esse, ut aliquis iis honor habeatur,
quia Reliquiæ esse dicuntur, & quia id
certo non constat, rudi populo superstitio-
nis materia subtrahatur. Refert deinde
exemplum S. Martini, & Gelasii Papæ
ver. c. 8. Sup. auctoritatem; tum vero prosequitur:
lib. XVI. §.
Si probari possit, quod duo tresve homines
in Ecclesia S. Benigni sanitatem recupera-
verint, agenda sunt Deo Gratia, nec ideo
tamen cetera omnia, quæ vel in hac Eccle-
sia vel in aliis contingunt, sunt recipien-
da. Cum enim dictæ Reliquiæ allatæ fue-
runt

vit. per Se-
 ver. c. 8. Sup.
 lib. XVI. §.

31.
 Miracula
 falsa.

Sæculum IX. A. C. 844. *runt tempore Quadragesimæ, quando pro multorum locorum consuetudine populus frequentius accedit Ecclesiis, facile fieri potuit, quod fidelibus ad honorem exhibendum fuerint ostensæ, & in Paschali celebritate hoc more jam introducto improbi aliqui ex perdita hominum face, captantes occasionem suæ indigentiaë consulendi, vel satiandi avaritiam, simplices fallere, atque hos casus, hæc verbera, extases, curationes comminisci cœperint, cujus rei antea nunquam visæ insolentia cum simplicem populum pavidum reddidisset & timidum, movente commiseratione bis fœminis morbum fingentibus eleemosynas adeo largiter contulerint, ut noluerint discedere, quin etiam se abire ne quidem posse simulaverint.*

Res enim est inaudita, in Ecclesiis aut ad sepulchra Martyrum hujus generis patrata fuisse miracula, non quæ ægrotos sanant, sed bene valentibus sanitatem & rationem adimunt. Quale autem illud sit, quod innocentes puellæ, per intercessionem Sanctorum ab ægrotudine liberatæ, iterum vexentur, si ad parentes suos redire velint? aut illud, quod Sancti mulieres infirmas sanent, ut eas a viris suis avellant, & castigent, si domum redire voluerint? quis non videat, impostorum hominum has esse vel Dæmonum illusiones? non nullos reperire est in locis Sanctis, qui sordide

de avari, cum populum erudire deberent, Sæculum IX.
 & abusus reprimere, eosdem laudant, & A. C. 844.
 adulantur pietati illorum, qui superstitioni ^{Amolonis} serviunt, ut oblationibus potiantur, ^{Responsum}
 ditescant, & mensas epulis onerent. Hæc ^{de Miracu-}
 non tam constanter affirmarem, nisi hujus ^{lis.}
 rei exempla luculenta in hac Diœcesi, se-
 dente Antecessore meo, vidissem. Recor-
 dor enim homines ad ipsum venisse, qui se
 a Dæmone obsessos dicebant; at verberibus
 haud perfunctorie castigati fateban-
 tur dolum, quem paupertate adacti tenta-
 sissent. Scimus etiam, Uticæ in Provin-
 cia Narbonensi apud Sepulchrum S. Fir-
 mini conspectos fuisse ad hunc ferme mo-
 dum, prout in vestris Ecclesiis contingere
 dicitis, in terram cadentes & membris
 captos, ita ut in eorum corpore ustionis
 notæ sulphuræ apparent. Unde popu-
 lus expavescens eleemosynas abunde affere-
 bat. At vero Bartholomæus Episcopus
 Narbonensis, qui etiamnum luce fruitur,
 postquam Prædecessoris nostri consilium
 expetiisset, concursum populi prohibuit,
 & oblata a Fidelibus in alios pauperes di-
 stribui jussit. Et ecce, brevi postea tam
 ibi quam in aliis locis cessarunt præstigiæ,
 & populorum quies rediit.

Itaque omnino tibi suademus, ut zelo
 & severitate Sacerdotali armatus hac pro-
 fanatione & Diaboli invento Ecclesiam
 purges. Hortare Fideles, ut hunc tumul-
 tum

Sæculum IX. *tum ad salutem tam corporis quam anima*
A. C. 844. *inutilem, imo noxium, devitent; quilibet ab omni strepitu remotus maneat in sua parochia, ubi Baptismum & cetera Sacramenta accipit, ubi Missæ interest, ubi ægrotans visitatur, & mortuus sepelitur, quo decimas & primitias conferre tenetur, ubi liberi ipsius baptizantur, ubi verbum Dei audit. Illo, inquam, illo vota sua & oblationes deferat, ibi ad Deum oret, & suffragia Sanctorum expetat, ibi eleemosynas eroget, & hospitalem se exhibeat. Nam hæc est devotio legitima & Ecclesiastica, hic est antiquus Fidelium mos; ita omnis novitas rejicitur, & Constitutio Apostolica conservatur. Si quis infirmatur, secundum Apostoli præceptum vocet Presbyteros, qui super ipsum orent, & sacro oleo in nomine Domini ungant. (*)*

Postquam hac doctrina Fideles tuos muniveris, speramus, per Dei Misericordiam subtractione eleemosynarum finem fore morbos simulandi, si illi, qui ægrotare putantur, alia via quærere alimenta compulsi fuerint. Si qui contumaciter errorem defenderint, ex iis veritas acerrimis corporis cruciatibus exprimenda. Quippe

(*) Ex hoc loco Historiæ Ecclesiasticæ convincuntur Protestantes, quod antiquissimum Ecclesiæ morem perperam rejecerint.

pe etiam si illud verum esset, quod receden-
 tes ex illis Ecclesiis illico nova vexatio cor-
 riperet, id evidenter Daemonis opera con-
 tingeret, & ideo maxime exeundum esset
 ex illis Ecclesiis, atque inimici terricula-
 menta contemnenda, Dei autem auxilium
 in Ecclesia propria implorandum. Non
 enim nobis licet suspicari, quod invidia
 laborent Sancti, qui cum Deo in Cælo
 regnant, nec credendum, ipsos offendi, si
 ægroti sibi primum oblatis deinde ad alio-
 rum Sanctorum sepulchra deducantur.

Si tamen populus Ecclesias quorundam
 Sanctorum adire velit, habet Festa solem-
 nia, in quibus id facere pro antiquo Ec-
 clesie more potest. Scilicet in Diebus Ro-
 gationum, & quotiescunque Preces publi-
 cæ ob varias necessitates in Quadragesima
 & in Festis Sanctorum indicuntur; quam-
 vis etiam aliis diebus Loca Sacra adire li-
 ceat, si modo id in silentio, sincera pieta-
 te, sine ostentatione & strepitu fiat. Quis
 vero non videat, quantum a sana ratione
 alienum sit, opera devotionis legitima &
 præcepta negligere, aut fastidire, & econ-
 tra ad talia curiose converti, quæ facere
 nemo suadet, imo quæ prohibentur. Tan-
 dem si quos revera a maligno Spiritu ve-
 xatos invenire esset, eos secundum consue-
 tudinem Ecclesie domi suæ & a propriis
 Parochis sanari oporteret, aut saltem mo-
 deste a propinquis suis vel amicis ad Mar-
 tyrum

Sæculum IX.

A. C. 844.

De Dæmo-
niacis.

Sæculum IX. *tyrum Ecclesias sine turbis & sine tumultu deduci.* Haftenus Responsum Archiepiscopi Lugdunensis ad Episcopum Ligonensem datum, cui junxit epistolam Agobardi Antecessoris sui ad Bartholomæum Narbonensem. Hæc inter opera Agobardi extat.

to. I. p. 197.

§. XXII.

Ecclesia Constantinopolitana.

vit. c. ult. In Oriente pæce Ecclesiæ reddita corpus S. Theodori Studitæ anno post obitum

Sup. lib. XLII. §. 8. tum ejus decimo octavo, nempe hoc anno Salutis octingentesimo quadragesimo

quarto, cura Methodii Patriarchæ, & jussu Theodoræ Imperatricis Constantinopolim translatum. Inventum est vero integrum, & deinde in Monasterio Studiensi prope sanctum Platonem Theodori patrum & Magistrum sepultum.

Orat. th. c. 2. n. 14. ap. Boll. to. 7. p. 320. Haud diu post Methodius Imperatrici suggestit, rem fore tanto Imperio profrosam, si Patriarchæ Nicephori, a Leone Armeno e Sede sua pulsi, & in exilio

Sup. lib. XLVI. §. 15. pro fide mortui memoria exoleret. Ergo ipse Methodius illius corpus ex Ecclesia S. Theodori eductum Constantinopolim ad Ecclesiam Apostolorum defert, ibique suis manibus illa ipsa, qua in exilium missus fuerat die, nempe decima tertia Martii, anno post restitutum imaginum cultum quarto, id est, Salutis octin-

octingentesimo quadragesimo sexto se- Sæculum IX.
 pelit. A. C. 844.

Interim nova diffensione animorum vit. S. Joann-
 Constantinopoli exorta parum abfuit, ut nic. c. 31.
 Catholici inter se ipsos dividerentur, ap. Sur. 4.
 nam ardentissimo zelo impulsus Metho- Nov.
 dius Patriarcha, cum Iconoclastarum Hæ-
 resim penitus extinctam cuperet, per-
 multos Episcopos ordinabat, ut vera Do-
 ctрина in omnibus Ecclesiis prædicaretur;
 imo ipse beneficium accipere videbatur
 ab iis, quibus ordinationem conferebat,
 si modo, Catholicos esse, sibi prius lique-
 ret. Sed fuere, qui Dignitatem Episco-
 palem consequendi cupiditate accensi S.
 Virum deciperent; nam omnibus, si or-
 thodoxos se affirmassent, fidem habe-
 bat. Qua facilitate offensi non nulli
 Episcopi & Abbates Patriarcham vitupe-
 rabant, quod vitam illorum quibus ma-
 nus imponeret, præsertim, si pœniten-
 tiam publicam subiissent, non mature
 examinaret. Dicebant, illos imprimis
 rejiciendos, quos Iconoclastæ ordina-
 sent; econtra Patriarcha in gradu suo
 conservandos arbitrabatur, quod eorum
 error magis ad Disciplinam, quam ad
 Doctrinam fidei spectasset. S. Joanni-
 cius ejusdem ac Patriarcha erat opinionis,
 & data ad eum epistola suasit, ut illos so-
 lum excluderet, qui Doctrinam perversam
 manifeste tenerent. Cum deinde
 Impe-

Sæculum IX, Imperator quoque in hanc sententiam
A. C. 844. concessisset, non nulli Episcopi & Abba-
 tes proprii iudicii tenaces depositi & re-
 legati; quod schisma non parum auxit.

§. XXIII.

S. Joannicius.

vit. ap. Sur. Sanctus Joannicius a longo jam tempo-
4. Nov. to.6. re Anachoreta virtute & miraculis
p. 67. clarissimus natus erat Marycati Bithyniæ
 oppido prope Apolloniadem anno Leo-
 nis Constantini Copronymi filii decimo
 quarto seu anno reparatæ Salutis septin-
 gentesimo sexagesimo quinto parentibus
 valde egenis, unde puero porcorum cu-
 stodia commissa. Grandior militiæ no-
 men dedit, & in Hæresim Iconoclastarum
 lapsus est; sed Constantino & Irene im-
 perantibus hortatu Anachoretæ cujus-
 dam ad Ecclesiam Catholicam reversus,
 sex annos exegit jejunans, orans, & in
 nuda humo cubans, quin tamen ideo mi-
 litæ valediceret, nam Imperatoris Prae-
 torianis adscriptus erat. Tandem post
 expeditionem in Bulgaros susceptam, in
 qua eximia dederat fortitudinis specimi-
 na, mundum reliquit, litteras legere di-
 dicit, & exinde in tribus Monasteriis di-
 versatus est. Postea solus ad montem
 Olympum in Bithynia se recepit, ubi
 postquam aliquot annos sine tecto transe-
 gisset,

gisset, in horrida caverna solo pane & aqua victitans, se inclusit. Sæculum IX.
A. C. 844.

Duodecim annis procul ab omni hominum societate exactis Joannicius Monasterium *Erusti* ingressus habitum induit. Prophetiæ Dono præditus erat, & multa ab eo patrata miracula referuntur. Fama Viri Sancti ad extremas Imperii provincias pervasit, ejusdemque maxima existimatio & auctoritas Catholicos tempore, quo Leo Armenus & Michael Balbus Ecclesiam persecuti sunt, plurimum juvit. Pace Ecclesiæ reddita, & Theodora Imperatrice ad clavum Imperii sedente, Joannicius in ultima senectute in parva cella Monasterii montis Antidis se abdidit.

§. XXIV.

Fœdera cum Bulgaris.

Theodora Imperatrix fœderibus, cum Bogori Bulgarorum Principe prius in-
initis, confirmatis sororem ei reddidit suam, captivam, petiitque vicissim reddi sibi Monachum, cognomento *Cupbaram*, diu ante a Bulgaris captum. Bogoris vero soror, in Regia Constantinopolitana captiva, Religionem Christianam sincere amplexa, litteras quoque didicerat, atque veræ fidei, in qua solide fuerat erudita, nihil præferebat. In patriam ergo reversa fratrem hortari non cessavit.

Hist. Eccles. Tom. XI.

D d

cessa-

Sæculum IX. cessabat, ut ad Fidem converteretur, ce-
 A. C. 844. jus prima principia jam ante ex Theodo-
 ri Monachi sermonibus hauserat. Et ipse
 quidem antiquæ superstitioni ad extre-
 mum inhæsit; at jacta fidei semina suo
 tempore fructus dederunt.

§. XXV.

Paulicianorum Seditio.

Petr. Sic.
p. 70.

Sup. lib.
XLVI. §.
54.

v. Cedr. to. I.
p. 433.

Imperatrix, rebus cum Bulgaris ita com-
 positis, ad convertendos Paulicianos
 seu Manichæos Armeniæ, vel certe de-
 lendos, si flecti non possent, animum
 adjecit. Illos Imperator Michael Curo-
 palata, ut diximus, persecutus fuerat,
 & Leo Armenus ejus Successor multos,
 nimirum illos omnes, qui in Provinciis
 Romano Imperio subditis degebant, nec-
 cari jusserat. Hæc mandata usque in
 Armeniam ad Thomam Episcopum Neo-
 cæsariensem & Paracondatium Exarchum
 pervenerant, qui Sectæ illius principes
 interfecerunt. Postea vero Exarchus a
 quibusdam Sergii Discipulis, quos græ-
 ce *Astates*, id est, vagabundos nomina-
 bant, insidiis capitur & jugulatur, dum
 interim ab aliis, quos *Cynochorites*, id
 est, Canes rurales vocabant, Metropoli-
 ta perimitur. Peracto facinore Vaga-
 bundi Melitinam in Armenia effugiunt,
 ubi indulgente Saracenorum Præfecto in
 loco *Argous* dicto sedem figunt, & Vaga-
 bundi

gabundi esse desinunt. Illo deinde fœdissima Sectæ homines undique confluentes ex Romanorum terris prædas agere cœperunt. Sed breve fuit Sergii regnum, quippe postquam aliquot annis in illo loco *Argous* moratus fuisset, a quodam, cui nomen *Zanion*, trucidatus est. Is in monte inventum, asseres secantem, rapta de manibus ejus securi, capite truncavit, sub annum octingentesimum trigesimum quintum, Theophilo Imperatore. Nam Sergius post regnum Irenis annis triginta quatuor turpis Sectæ caput fuerat, cujus Discipuli, arcanorum consciï Michael, Canacoris, Joannes invisibilis, Theodotus, Basilus, Zosimus pluresque alii extitere. Sublato Sergio nullum Præpositum eligere placuit, sed æquali potestate Senatores esse; sibi que subiectos habebant Presbyteros, quos Notarios appellabant.

Hic Paulicianorum erat status, cum Theodora homines extirpare aggressa est. (*) Missis tribus militum Præfectis centum ferme millia obscenam Sectam profitentium interfecit. Hi suspendio, alii capitis obruncatione, alii in mare præcipitati perierunt. Eorum Bona Impera-

D d 2

pera-

(*) Malum consilium, & adversum Doctrinæ SS. Patrum! qui non hominem, sed peccatum, sed Hæresim destructam volebant,

Sæculum IX.
A. C. 844.

Petr. p. 60.
p. 72.

Sæculum IX.
A. C. 844. peratoris patrimonio adscripta. Inter
 copiarum Duces, quibus Theodotus Stra-
 tegus, seu Orientis Præfectus, impera-
 bat, erat quidam Carbeas, Secta Pauli-
 cianus. Is dolore infaniens, quod pe-
 rentem in patibulo expirantem vidisset,
 cum sociis quinque Melitinam fugit, ubi
 a Musulmannorum Emiro benigne excep-
 tus, inde postea Califam adiit, qui ve-
 nientem hospitem inter maximi honoris
 signa amplexus est. Fœdere deinde in-
 to Carbeas ejusque satellites adversus
 Romanos cum Musulmannis militare coe-
 perunt amplissima spe sortis optimæ con-
 cepta, nam permulti sub signa Paulicia-
 norum convolaverant. Imo urbem *Ar-
 gous*, pristinam sedem suam, repararunt,
 Amaram a fundamentis extruxerunt, &
 numero ad eos confugientium semper
 crescente novam civitatem, ab ipsis Te-
 phricam, seu Tibricam dictam, condide-
 runt. In ea Carbeas Sedem fixit, ut a
 Musulmannorum Melitensium jugo &
 ceterorum hominum strepitu esset re-
 motior. Itaque cum inter Armeniam
 & Romanorum Ditiones medius habita-
 ret, eo libentius subditi imperata face-
 bant, & ad diripiendos captivos manus
 commodabant. Illos vero, qui captivi-
 tatis impatientes obedire pertinaciter
 recusabant, Musulmannis venundabat.
 Romani Imperii fines, quam Pontum Eu-
 xinum

xinum spectant, vastabat, cunctos Sectæ Sæculum IX.
 suæ inter Romanos vita periclitantes re- A. C. 845.
 cipiebat, homines vitæ licentia & ulti-
 ma scelera ausos ad armorum societatem
 invitabat. Ita tantum abfuit, ut Theo-
 dora Imperatrix hanc pestem extingue-
 ret, ut multo magis incrementa addide-
 rit, & Musulmannis auxilia contra Ro-
 manos præbuerit.

§. XXVI.

Martyrum Amoriensium ultima.

Hucusque Christiani in excidio civita- Sup. §. 2.
 tis Amoriensis capti in obscuro car- Acta c. 3.
 cere contabescere cogebantur. Tandem Boll. to. 6.
 post septem annorum spatium Boidizius p. 464.
 civitatis proditor, qui circumcisionem
 pati & ad Mahometem deficere non ex-
 horruerat, die quinta Martii, anno octin-
 gentesimo quadragesimo quinto, sub no-
 ctē ad januam ergastuli venit, Con-
 stantinum Aetio Patricio a secretis vo-
 cat, & vocem per foramen immittens,
 attendere jubet, ne quis explorator lo-
 quentes audiret. Tum dixit: *Ego qui-*
dem Patricium, Dominum tuum, semper
amavi; cum ergo certissime sciam, statu-
tum esse Califæ, cum crastina interficere,
nisi flecti se sinat, & cum ipso in oratione
communicet, accurvi celeviter, ut consi-
lium vobis aperirem, quo si usi fueritis,
salvi esse potestis. Permove Dominum
 D d 3 *tuum,*

Sæculum IX. *tuum, ut obediat, tu ipse morem gere, &*
A. C. 845. *conserva in corde tuo Christianorum fi-*
dem. Ignoscet vobis Deus, quod extre-
ma necessitate coacti feceritis.

Constantinus signum Crucis contra
 os apostatæ formans dixit: *Deus te per-*
cutiet, tentator! apage, minister iniqui-
tatis! his in angulum carceris regredi-
 tur, & Patricio percontanti, quis eum
 vocasset, & quam ob causam, respondit,
 latam esse in ipsum sententiam mortis,
 quam crastina subiret, presso, quod pro-
 ditor dederat, consilio, ne forte Domino
 suo scandalum crearet & lapsus causa ef-
 fet. Patricius Deo gratias agens dixit:
Fiat voluntas Domini. Postquam au-
 tem testamentum suum, Constantino
 scribente, dictasset, ceteros vinctos, ut
 sibi Laudes Divinas tota nocte decanta-
 ti voces jungerent, invitavit & facile ob-
 tinuit. Mane adest Prætor, a Califa mis-
 sus, cum viris armatis & instrumentis
 mortis ad terrorem incutiendum aptis.
 Mox januam carceris aperiri, & præci-
 puos captivorum exire jubet. Egre-
 diuntur illi numero quadraginta duo, rursus
 que janua clauditur. Quærit deinde De-
 legatus: *Quot annis vos in carcere fuisse*
existimatis? hoc ipse novisti, inquit,
numeramus jam annum septimum. Et il-
 le: *Ex mora longa Califarum tam defun-*
cti quam Successoris ejus clementiam aesti-
mati

Martyres
Amorientes.

mare debetis. Nempe Califæ *Mutazem* Sæculum IX.
A. C. 845.
ante trium annorum spatium mortuo
ipſius filius *Vatec* vel *Aluatec* ſucceſſe-
rat.

Cum poſtea ſermones miſcuiffent, &
Chriſtiani Muſulmannis objeciffent, quod
Deum verum non cognoſcerent, quia
Deum ſuum non tantum Boni ſed etiam
Mali auctorem facerent, (*) dixit a Cali-
fa miſſus: *Ergo hodie non communicabi-
tis in oratione cum Califa? ideo enim mi-
ſit me, & ſcio, complures ex vobis id ipſum
cupere. Sed poſtquam contumaces illi con-
ſpexerint iſtos honoribus claros, dolebunt,
quod ſorte proſpera ſua imprudentia exci-
derint.* Chriſtiani uno ore reſponde-
runt: *Rogamus ſolum Deum verum, ut
non tantum Califæ, ſed etiam tibi & uni-
verſæ Arabum nationi mentem indat, ab-*

D d 4

jeſto

(*) Quæri hic poteſt, an dicendum, quod
Mahometani in verum Deum credant, eumque
adorent. Certe putant, & profitentur, ſe cre-
dere in illum Deum, qui Mundum condidit,
Moſi Legem dedit, & JEſum Chriſtum, ſaltem
ut purum hominem & Prophetam miſit. Sed
Bonum ex integro & Malum ex quolibet defe-
ctu. Itaque e numero Infidelium Mahometani
& Judæi neſtquam eximendi ſunt; non enim
credunt in Deum verum, qui non credunt in
JEſum Chriſtum, per quem Filium ſuum & Deum
de Deo incarnatum Deus unus & trinus homi-
bus manifeſtari voluit.

Sæculum IX. A. C. 845. *jecto Mabometis errore, adorandi Jesum Christum a Propbetis & Apostolis prædicatum. Absit, ut lucem fugiamus & amplectamur tenebras! Prudenter pensate ea, quæ dicitis, inquit Delegatus, ne penitentia sera vos subeat; nam refractarius acerrima tormenta manent. Responderunt Christiani: Deo animas nostras commendamus, speramusque, nos ab eo usque ad ultimum spiritum accepturos gratiam, qua muniti nunquam Fidei renunciemus. Rursus Delegatus: In die Judicii expræbrabitur vobis, quod crudeles vestro auxilio destitueritis filios orphanos & uxores viduas, quas Califa potuisset, nisi obstinacia vestra obsisteret, in hanc terram advocare. Imo satis temporis etiamnum superest, si vos adduci patiamini, ut Mabometem Propbetam colatis. Romani, vobis dedecus! fæminæ imperium ferre possunt, quæ nunquam contra Dominos nostros tueri vos valebit. De Bonis & rebus necessariis ne sitis solliciti; unius anni census ex Ægypto vobis & posteris vestris usque ad decimam generationem locupletandis sufficiet. Christiani iterum uno ore: Anathema Mabometi & omnibus, qui eum ut Propbetam colunt!*

Illico jubente iudice corripuntur Confessores a militibus & religatis in tergo manibus ad ripam fluvii, nempe Tigris, ubi Samarra Califæ Regia stabat, rapiunt.

Sæculum IX.

A. C. 845.

rapiuntur, innumera Musulmannorum
 & Christianorum multitudine ad specta-
 culum nunquam antea visum conflente.
 Cum ad fluvium pervenissent, Prætor,
 uno ex Martyribus ad se vocato, cui no-
 men Theodorus Craterus, ait: *Tu vero,*
qui inter Christianos Sacerdos eras, qui
tamen arma gessisti & homines occidisti in
Dignitatis tuæ probrum, cur modo Chri-
stianus videri vis? an non utilius esset
auxilium Mabometis Prophetæ invocare,
cum nulla tibi in Jesu Christo, quem ne-
gasti, spes supersit? Imo hoc ipsum, re-
 spondit Theodorus, *impellit ad sanguinem*
pro ipso fundendum, ut peccatorum meo-
rum veniam merear. Si mancipium tuum
fugitivum rediret, & pro te in necem rue-
ret, an culpam priorem non ignosceres?
Hæc dicebam, inquit Prætor, ut salutem
tuam consularem. Sed illico fiet tibi, quod
cupis.

Musulmanni
 Christianos
 Martyrio af-
 ficiunt.

Jamque lictoribus Æthiopibus gla-
 dios expedientibus, seseque ad ferien-
 dum comparantibus, Theodorus veritus,
 ne Patricius nimio dolore opprimeretur,
 si amicorum suorum sanguinem fluere
 conspiceret, ejus lateri admotus, inquit,
semper nos omnes, Domine, tam officii
dignitate quam virtute superasti & ante-
cessisti; decet igitur, ut etiam primus co-
ronam Martyrii accipias. At Patricio
 Theodorum isto honore privare nolen-

D d 5 te,

Sæculum IX.
A. C. 845.

te, ille, commendans animam suam Deo, ad carnificem proxime accessit, ferrumque constanti animo recepit. Ceteri deinde omnes servato Dignitatis suæ ordine impavidi collum præbent, Prætore invitam virorum constantiam obstupescen-
te. Ecclesia quadraginta duos Martyres in die passionis suæ sexta Martii honorat. Califa *Vatec* anno sequente octingentesimo quadragesimo sexto, Hegiræ ducentesimo trigesimo primo, postquam regnasset annis quinque & novem mensibus, naturæ debitum solvit. Ceterum immodicus Veneris usus ei præmaturæ mortis causa fuit. Poesi & Musica delectabatur. Voce etiam eleganti ad cantandum a natura præditus erat. Fratrem suum *Jasar Abufadel* cognomento *Mutevaquel* Successorem habuit.

Martyr. R.
6. Mart.

§. XXVII.

Normanni Parisiis.

Ann. Bert. Interim Normanni Franciam infestabant.
844. 845. Anno octingentesimo quadragesimo
Chr. Font. quarto adverso Garumna Tolosam usque
Duchesn. to. advecti impune vicina oppida omnia de-
2. p. 388. populati sunt. Inde recedentes, cum
Mar. S. Galæciam aliasque interiores Hispaniæ
Germ. to. 4. regiones invasissent, a Saracenis strenue
Act. Ben. n. depelluntur. Anno octingentesimo qua-
304. dragesimo quinto, Indictione octava, mense Martio navigiis viginti sex in Se-
quanam

quanam inveci Duce Ragnerio Rothomagus appellunt, ubi Præfectorum illius provinciæ vel imbecillitate vel ignavia explorata descendunt, & divisis irumpentes agminibus incolas cædunt, capiunt, pagos, Ecclesias, Monasteria diripiunt & incendunt. Usque Chalevanum prope S. Germanum vulgo *en Laye* progressis nunciatur, Regem Carolum in eos movere. Itaque Sequanam trajiciunt, & alteram ripam, copiis paucis, quæ ibi erant, in fugam actis, vastant. In vicinia Insula Christianos undecim a se captos erectis columnis laqueo perimunt. Item alios plures partim ex arboribus in campo, partim in ipsis domibus suspendunt. Tandem Parisios usque adverso flumine vela faciunt, & nemine obsistente urbem atque vicina Monasteria intrant.

Monachi San-Germanenses in pratis S. Episcopi corpus e sepulchro eductum Combessivillam in Bria, sex Leucis ab urbe distantem pagum, tunc temporis Ditioni illius Monasterii subjectum translulerunt. Hebertus quoque S. Genovevæ Abbas S. Virginis ossa Athim (vicus est quinque leucis ab urbe Parisiensi distans & Monasterio subditus) deferri iussit, atque inde Dravetum, ubi aliquanto tempore remansit. Plures aliæ Reliquiæ in loco tuto collocatæ.

Jam-

Sæculum IX. Jamque e tumbis suis etiam corpora
 A. C. 845. S. Dionysii & Sociorum ejus evocaban-
 tur, cum Rex Carolus præsens id prohibuit, cum animo constituisset, Monasterium sibi a parente suo tantopere commendatum paucis, quæ supererant, cohortibus strenue defendere. Rege ibi commorante Normanni coactis, quantum lubuerat, prædis onusti mittunt legatos, qui pacta pecunia pacem promitterent. Abhorrebat Rex probrosa fœdera; sed Optimates, quorum non nulli a barbaris sollicitati ad consensum fuerant, compulerunt prope invitum, ut daret, quantum illi postulabant. Ergo Ragnerio & Ducibus Normannorum præcipuis ad Monasterium S. Dionysii venientibus inter Francos & Prædones conclusum est, ut septem millia librarum argenti acciperent, ipsis in vicem per deos suos & quidquid in gente illa sacrum sanctumque habebatur jurantibus, nunquam se in Ditiones Caroli, nisi ad auxilium ferendum advocarentur, redituros. Postquam funestæ cohortes recesserunt, S. Germani corpus a Monachis illius Monasterii rursus relatum, & ab Ebroino Abbate in pristinum sepulchrum vigesima quinta Julii, qua prima ejus Translatio celebrari solebat, repositum. Ebroinus hic erat Episcopus Pictaviensis, Regis Caroli Archicapellanus, ejus jussu duo
 Mona.

Monachi Miracula, quæ in hac translatione S. Germani edita credebantur, conscripserunt. Sæculum IX.
A. C. 845.

Normanni, relicta Sequana, oras & littora Oceani, inter alia Monasterium Sittivienſe, seu S. Bertini, diripuerunt & igni vastarunt. Ecce vero cum naves suas prædis opimis graves agunt in patriam, tanta corporis animique cœcitate capiuntur, ut paucissimi eorum ad suos pervenirent. Normannorum agmen aliud, quod anno superiore vastitatem in Aquitaniam invexerat, hoc anno octingentesimo quadragesimo quinto Regionem Xantonensem invadunt, Francorum copias prælio vincunt, & sedes ibi figunt.

§. XXVIII.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis.

Eodem anno octingentesimo quadragesimo quinto, mense Aprili, jubente to. 7. Conc.
p. 1811.
Carolo celebratum est Concilium Bellovacii, quo Episcopi decem ex duabus Provinciis Remensi & Senonensi conveniunt, videlicet Venilo Archiepiscopus Senonensis, Erchanradus Episcopus Parisiensis, Immo Noviodunensis, Rothadus Sueffionensis, Simeon Laodunensis, Lupus Catalaunensis, Ragenarius Ambianensis, Elias Carnutensis, Erpoinus Silvanectensis, Avius seu Agius Aurelianensis,

sis,

Sæculum IX. sis, & Hincmarus, in eodem Concilio Ar-
 A. C. 845. chiepiscopus Remensis electus. Hanc

Flod. III.

c. I.

Ecclesiam Ebbone deposito per annos de-
 cem vacantem primum Fulco Presbyter,
 & deinde Notho etiam Presbyter rexe-
 rant; nunc vero postquam Episcopi te-
 stimonium reddidissent de iis omnibus,
 quæ de Ebbonis Depositione viderant &
 audiverant, atque quid in ejusmodi casu
 faciendum ex Auctoritate Canonum re-
 tulissent, Hincmarus a Clericis, populo
 Remensi, & Provinciæ illius Episcopis,
 consentientibus Archiepiscopo Senonen-
 si, Episcopo Parisiensi, & Abbate S. Diony-
 sii Præpositis suis, applaudente sua Con-
 gregatione, & Rege Carolo approbante,
 ordinatus est.

*Hincmar.
 opusc. 26.
 p. 303.*

Erat Hincmarus de Gente Francorum
 plurimis Majorum ceris clarus Bernardi
 Comitis Tolosani propinquus. Necdum
 pueritiam egressus Monasterio S. Diony-
 sii sub cura Hilduini Abbatis ad pieta-
 tem formandus & in liberalibus litteris
 erudiendus traditur; tunc autem tan-
 tum Canonicorum habitum, sicut pler-
 que alii in illa Congregatione, in qua Disci-
 plinæ rigor fuerat relaxatus, suscepit. In-
 de ob nobile genus & elegans ingenium
 evocatus ad Regiam Ludovici pii dedu-
 citur, & Principis familiæ adscribitur.
 Ibi juncta cum Abbate suo opera apud
 Imperatorem effecit, ut Disciplina Mo-
 nastica

naſtica in Monafterio S. Dionyſii Aucto-
 ritate Episcoporum reſtitueretur; atque,
 illud Monafterium in Concilio Pariſienſi
 anno octingenteſimo vigefimo nono ab
 Aldrico Archiepiſcopo Senonenſi, & Eb-
 bone Archiepiſcopo Remenſi cum ſuis
 Suffraganeis celebrato reformatum fuiſ-
 ſe, ex epiſtolis Ludovici pii diſpicimus.

Sæculum IX.
 A. C. 845.

Hincmarus neminem prius quam ſe
 ipſum reformare aggreſſus, relicto Aula
 ſtrepitu, & aſſumpto habitu Monafterio,
 ſecundum totum Regulæ rigorem vitam
 compoſuit, & longo tempore in illa tran-
 quillitate vixit, Episcopatum aliasve
 Dignitates nec ſperans nec cupiens. Hil-
 duinum deinde Abbatem, cum Impera-
 toris gratia excidiſſet, in exilium proſi-
 ciſcentem conſentiente Episcopo ſuo, &
 fratribus Benedictionem impertientibus,
 ſecutus in Saxoniam, auctoſitate ſua, qua
 apud Imperatorem & Proceres valebat,
 uſus eſt, ut ei redditum ab exilio & Mo-
 naſteriorum ſuorum reſtitutionem impe-
 traret. Cum Gregorius IV. in Franciam
 veniſſet, Hilduinus nullum non movit
 lapidem, ut Hincmarum in partes Lotha-
 rii pertraheret, ſed fruſtra; & poſtquam
 Ludovicus Imperator priſtinam poteſta-
 tem recuperavit, ruruſ Hincmarus Hil-
 duino ſinceram amicitiam opere ipſo
 comprobavit. Exinde in Monafterio mu-
 nere theſauro Præfecti ſeu Reliquiarum
 Cuſto-

Sup. lib.
 XVII. §. 23.
 to. 7. Conc.
 p. 1674.

Sup. lib.
 XLVII.
 §. 37.

Sæculum IX. Custodis fungens quiete permanfit. Sed
A. C. 845. ab Imperatore iterum ad Regiam vocatus obediit, & Episcoporum Synodis interfuit, inter alias Synodo Vernensi, quo eum Ludovicus S. Dionysii Abbas Hilduini Successor deduxit. Carolus vero Rex Hincmaro duas Abbatias, S. Virginis Compendii & S. Germari contulit, quas non nisi ab Episcopo suo & Abbate jussus recepit. Fundum quoque a Rege accepit, quem postea ad Episcopatum evectus S. Dionysii Xenodochio donavit.

Mabill. Diplom.

§. XXIX.

Concilium Bellovacense.

to. 7. Conc. p. 1812. **C**oncilium Bellovacense, in quo Hincmarus electus & ordinatus est Archiepiscopus Remensis, edidit octo Canones seu potius pacta inter Carolum & Hincmarum inita, quæ etiam ad alios Episcopos extenduntur, nam sermo jam ad plures jam ad unum dirigitur. In illis Articulis dicit Hincmarus: *Nihil facies, quod mihi nocere possit, ob rem quamcunque præteritam, nisi imposterum contra Deum & te culpam admisero.* Hic articulus cautionis loco est propter præterita bella civilia. *Bona Ecclesiæ meæ tempore Regni tui ablata mihi restitues, literas donationis concessas rescindes, & si miles nemini unquam concedes.* Ecclesiâ

siam meam nulla exactione illicita vexa- Sæculum IX.
bis, sed in illo rerum statu, quo Patris & A. C. 845.
Avi tui tempore fuit, conservabis.

Itaque ut promissa in his tribus articulis implerentur, Rex Carolus Ecclesiæ Remensi Epernacum, Julliacum, Cormiacum & cetera omnia, quæ in diversos clientes tam Ecclesiasticos quam Laicos sparserat, restituit; id enim ipsius literæ prima die Octobris, anno Regni sui sexto, Indictione octava, scilicet, hoc anno octingentesimo quadragesimo quinto, datæ probant. In tribus posterioribus articulis Conventus Belloyacensis nomine omnium Episcoporum a Rege petitur, ut eos contra bonorum Ecclesiasticorum prædones tueatur, ut Ecclesiarum tabulas confirmet, & si vel Rex vel Episcopi his, quæ in articulis continentur, contraria egerint, remedium ex omnium consensu afferatur. Juravit Rex Carolus se hos octo articulos nunquam violaturum, & eadem privilegia ad cunctas Regni sui Ecclesias extensurum.

§. XXX.

Concilium Meldense.

Eodem anno, decima septima Junii, *to. 7. Conc.*
 Episcopi trium Provinciarum Seno- *p. 1813.*
 nensis, Remensis, & Bituricensis, Meldis
 Concilium celebrarunt, Archiepiscopis
 Venilone, Hincmaro & Rodulfo præsi-
Hist. Eccles. Tom. XI. E e den-

Sæculum IX. dentibus. Collecti sunt quorundam
 A. C. 845. Conciliorum præcedentium Canones,
 quos nullus secutus fuerat effectus, nempe Theodonis Villæ, Lauriacensis seu Ligeriensis in territorio Andegavensi, Coloniensis prope Cenomanum (hæc duoposteriora anno octingentesimo quadragésimo tertio coacta) & Bellovacensis. Nunc adjectis quinquaginta aliis universim Canones octoginta numerantur. Canones Concilii Vernensis non sunt inserti, sed conqueruntur Patres, quod ad notitiam Regis & populi necdum pervenerint.

Articuli Meldis editi non tam Canones sunt, quam preces, quibus Rex abusus tollere rogatur. Queruntur Episcopi, quod Rex & Proceres, cum in domibus Episcopalibus diversantur, adducant fæminas, & nuptas, diuque ibi commorentur. Nempe Aula Regum erat quasi ambulans, & Princeps ferme semper in itinere constitutus. Item quod, quocunque Rex transiret, civitates ab exercitu expilarentur. Deinde statuuntur sequentia: Rex Episcopos ab officiis Ecclesiasticis, præsertim in Quadragesima & Adventu, non abstrahat. Episcopi vero bonas horas non perdant, sed prædicent, increpent, Confirmationem conferant, & in suis Civitatibus resideant, excepto illo tempore, quo Diocesim suam visitant. Principes concedant licentiam celebrant.

lebrandi bis in anno Concilia Provincia- Sæculum IX.
 lia, quæ ob nullas negotiorum sæcula- A. C. 845.
 rium turbas omitti debent. Episcopi ca-
 veant, ne nova Doctrina & periculosa
 præsertim in Monasteria irrepant, & qui-
 libet habeat virum doctum, qui ad Pa- Canones
 rochos erudiendos idoneus sit. Clerici Meldenses.
 sub pœna Depositionis arma militaria non 37. 38.
 contingant. Nullus deinceps Episcopus
 supra Sacra juret. Ad Regis aures defe- Sup. lib.
 ratur, Scotorum, id est, Hibernorum, XXXVIII.
 Hospitia a piis hominibus illius nationis S. 58.
 fundata, prope ad nihilum fuisse redacta,
 in ea enim non modo advenas non susci-
 pi, sed illos, qui ibi a pueris Deo servie-
 runt, expelli, & ad stipem ostiatim quæ- 41.
 rendam adigi. Rex Monasteria quibus- 42.
 dam privatis in allodium data restituat.
 Mittat in Regni Provincias Mandatarios,
 qui res Ecclesiasticas inquirent, a se vel
 parente suo quibusdam subreptitie in
 proprietatem datas.

Chorepiscopi officiis Episcopo pro-
 priis non fungantur. Inde liquet, eos in 44.
 Francia Episcopos non fuisse juxta distin-
 ctionem quam alibi adnotavi. Sacrum
 Chrisma non nisi in Cœna Domini con- Sup. l. X.
 secretur. Si quis Episcopus morbo im- § 16. 17.
 peditus ea, quæ muneris sui sunt, imple- Lib. XII.
 re non valeat, Archiepiscopus consen- § 13.
 tiente Episcopo provideat. Ea vero, c. 46.
 quæ ad defensionem Reipublicæ spectant, 47.

E e 2 Episco-

Sæculum IX. Episcopus disponat consentiente Archi-
A.C. 845. episcopo. Presbyteri nullibi nisi in Ec-

48.

clesiis fontem Baptismalem habentibus
 & tempore præscripto, quando aliud non
 exigit necessitas, baptismum conferant.

51.

Clerici, qui cum Dominis suis, inquit
 Patres, ad nostras Diœceses veniunt,
 non fungantur munere suo, nisi litteras
 commendatitias a suis Episcopis afferant;
 & si habeant, cujuslibet tamen Ecclesie
 consuetudines edoceantur. Si autem

52.

Optimatum aliquis Clericos ordinandos
 præsentet, admoneatur, eos ad Episco-
 pos suos Diœcesanos, quibus subjiciun-
 tur, esse remittendos, ubi ordinandi sunt,
 nisi litteras Dimissoriales habeant. Ex
 his dispicimus, hos Clericos Optimatum
 familiis adscriptos, Disciplinam Ecclesia-
 sticam multum turbasse. Nullus ordina-
 tur sine titulo, & qui cum titulo ordina-
 tur, prius saltem uno anno inter Cleri-
 cos Regulares, aut in civitate (nempe
 Episcopali) ministraverit, quo tam ejus
 Doctrina quam mores cognoscantur. Ca-
 nonici juxta Constitutionem Ludovici
 Imperatoris Congregati vitam commu-

58.

nem degant. Rex Canonicos ad Re-
 giam non vocet sine consensu Episco-
 pi. Titulos Cardinales in urbibus &
 Suburbiis constitutos Episcopi secun-

54.

dum Canones conferant. Ergo etiam
 num illa ætate omnes Ecclesie urbium

Epi-

Episcopatum Tituli Cardinales dice-
bantur. Sæculum IX.
A.C. 845.

Monachi Palatium sine Auctoritate
Episcopi non adeant, nec iis Episcopi vel
Abbates ad deferenda mandata vel ad ge-
rendum officium villicationis sub specie
obediendiæ utantur. Monachus de suo
Monasterio Episcopo aut ipsius Vicario
inconsulto non ejiciatur, sed Episcopus
ei vitæ normam præscribat, ne, nemine
juvante, pereat. Nempe juxta Regulam
S. Benedicti Monachi contumaces expel-
lebantur. Episcopus neminem excom-
municet, nisi crimen sit manifestum, &
sine consensu Archiepiscopi & Episcopo-
rum Provincialium Anathema non pro-
nunciet. Ergo adhucdum Anathema a
simplici Excommunicatione distingueba-
tur. Renovantur querelæ contra usur-
pationes Bonorum Ecclesiasticorum, &
petitur, ut illi, qui Ecclesiæ Nonas & De-
cimas propter fundos, quos possident,
pendere tenentur, excommunicentur, si
non pendant, quo facta tecta servari, &
Clerici ali possint. Nempe, Laici qui
agros ex concessione Ecclesiæ posside-
bant, duplici titulo adstringebantur, &
primo Decimas Ecclesiasticas, deinde et-
iam nonam partem fructuum Ecclesiæ
tanquam Domino suo directo dare tene-
bantur. Plures hic Canones contra mu-
lierum

57.

59.

Reg. 28.
36.

Sup. l. XIX.
§. 9. 60. 61.
62.

Cang. Gloss.
nona.

64. 65. 66.
67. 68. 69.

E e 3

lierum

Sæculum IX. A. C. 845. *liorum raptores, adulteros, & Sanctimonialium illusores sequuntur.*

71.

Quilibet Episcopus habeat litteras Regias, quibus munitus a ministris Reipublicæ, si indiguerit, auxilium petere contra improbos possit. Nemo in Ecclesiis

72.

quasi jure hæreditario sepeliatur, sed illi solum, quos Episcopus vel Parochus ob vitæ ipsorum Sanctitatem eo honore dignos judicaverit. Pro sepultura nulla

Lib. VIII. ind. 2. ep. 56. c. 73. exigatur pecunia, juxta auctoritatem S. Gregorii in epistola ad Januarium Calaritanum data. Leges & Canones contra Judæos referuntur, & præcipitur, ut

74.

observentur. Viri potentes, & maxime potentes feminæ, in suis domibus fornicationes & omnis generis lasciviam non tolerant, sed suos familiares a Capellanis instrui & castigari jubeant. Nempe ea jam tunc erat Optimatum potentia, ut scelera in eorum domibus impune perpetrari possent. Cum non nunquam Ar-

75.

cis Regiæ oratoria Laicis committerentur, monetur Rex, ne eos etiam decimas percipere permittat, sed Presbyteris ad facta tecta, luminaria, & excipiendos hospites relinquuntur. Comites aut ju-

76.

dices alii post quartam feriam cinerum Actus Judiciales non exercent, & dies octo Paschæ feriæ sint. Omnia Capitula Ecclesiastica a Domno Carolo Magno

78.

Imperatore & a Domno Ludovico pio Augu-

Augusto promulgata observentur. *Hæc* Sæculum IX.
A.C. 845.
autem constituimus, inquit Episcopi,
non præjudicantes aut parvipendentes, quæ
a Majoribus nostris forte severius propter
rigorem Ecclesiasticæ Disciplinæ sunt præ-
cepta; sed quicumque per Pontificalem au-
toritatem & Regiam Majestatem promul-
gata & confirmata contempserit, si Eccle-
siasticus sit, a Concilio a suo ordine amo-
veatur, si Sæcularis, sua Dignitate a Re-
ge privetur & relegetur. Hic duæ Po-
 testates junguntur, quia Rex hæc
 omnia confirmaturus præsumitur. Id
 ipsum Episcopi postulant in conclusione.
 Dicunt se hos canones a Rege rogatos
 condidisse, & hortantur, ut illas consti-
 tutiones, quas apposita manu sua appro-
 basset, quales erant Colonienses & Bel-
 lovacenses, ad effectum deduci curaret.
 Attamen Episcopi Concilii Meldensis,
 cum Canonum confirmationem obtinere
 non possent, eos in lucem edere distule-
 runt.

§. XXXI.

Normanni Hamburgi.

Normanni hoc eodem anno octingen-
 tesimo quadragesimo quinto Ludo-
 vici regnum invadunt. Ter in Frisia
 pugnatum. Et primo quidem prælio vi-
 cti in duobus aliis victores suos supera-
 runt. Itaque sexcentis navibus in Albim,
Ann. Fuld.
& Metens.
845. Chr.
Duch. to. 2.
p. 524.

Sæculum IX. Rorico Rege ipsorum Classem ducente,
 A. C. 845. investi, militibus ad Hamburgum expo-
litis, tanto terrore accolas nil tale cogi-
vit. S. Ansch. tantes implent, ut ne quidem agrestes
n. 22. to. 6. saltem ad tumultuarium auxilium feren-
Act. p. 89. dum convocari potuerint. Comite ab-
sente S. Anschario Archiepiscopo animus
erat a primo hostium impetu urbem de-
fendere, dum validiores vires colligun-
tur. Sed videns, vim hostium urbem
jam obsidentium repelli non posse, cu-
ram ad salvandas Reliquias convertit.
Clerici sparguntur in diversa, ipse Archi-
episcopus vix sine pallio barbarorum ma-
nus effugit. Dilabatur undique populus,
multi capti, plerique trucidati. Barbari
sub noctem Hamburgum perveniunt, ibi-
que una die & duabus noctibus commo-
rantes omnia diripiunt & igne vastant.
Hoc incendio consumpta est Ecclesia, quam
S. Episcopus cura maxima ædificaverat,
Monasterium quoque, & Bibliotheca, in
qua inter ceteros erant libri eleganter
descripti, a Ludovico pio illuc missi. De-
nique nemini de rebus suis quidquam se-
perfuit, quam quod sub manu forte erat,
& secum auferre potuerat. S. Ansch-
arius, omnibus, quæ per annos complures
sui Episcopatus collegerat, uno momen-
to amissis, nullo impatientiæ motu tur-
bari visus, sed tantum sæpius dicere au-
ditus est, illa Jobi verba: Dominus dedit,
Dominus abstulit. Archi.

Archiepiscopum in hunc modum cum suis Monachis errante, & cum ubique instaret periculum, Reliquias ex uno loco ad alium deferente, nunciatur in malorum cumulum, Ausbertum Episcopum, quem in Sueciam miserat, fuisse ejectum. Nam aliqui de populo, clandestine conjurati, in ejus domum irrumpunt, ejusdem nepotem Nithardum truculenter necant, cuncta diripiunt, ipsum Episcopum sociosque vinciunt, & ex Suecia probrose expellunt. Hæc vero inscio Rege plebs seditiosa ausa est. At ecce, Dei vindicta brevi omnes tantæ impietatis reos corripuit; nam alii morte, alii morbo, alii rerum omnium privatione pœnas dederunt, ita ut cuncti Jesu Christi potentiam mirarentur. Exinde Suecia annis septem Presbyterum non habuit.

Sæculum IX.

A. C. 845.

Ausbertus
Episcopus.

Hamburgensi Civitate expilata, nihil ultra prospere successit Normannis, & Saxonibus strenue sua defendentibus Rex Roricus seu Oricus, cum per nuncios comperisset, quantam cladem Normanni, Franciam ad Sequanam depopulati, accepissent, rerum suarum trepidus ad Ludovicum Regem Legatos mittit, qui pacem peterent, addentes, captivos se & quidquid de præda possent reddituros. Hi Legati Paderbornæ, ubi Rex Ludovicus in autumnno hujus anni octingentesi-

Ann. Fuld.

Chr. Norm.

Ann. Bertin.

Sæculum IX.
A. C. 845.

mi quadragesimi quinti Comitia Generalia agebat, adfuerunt. Sclavorum quoque & Bulgarorum advenere legati. Et Sclavorum quidem natio etiamnum Infidelis erat, sed Duces & Tribuni quatuordecim cum suis vasallis desiderium aperuerant Christiana Sacra suscipiendi, quos Rex Ludovicus in octava Epiphaniæ eodem anno octingentesimo quadragesimo quinto baptizari iusserat.

§. XXXII.

Capitulare Benedicti Diaconi.

Præf. Benedicti. Præf. Baluz. n. 44. Sup. lib. XLVII. §. 14.

Sub idem tempus Benedictus, Ecclesie Moguntinæ Diaconus, in Regno Ludovici degens, Capitularia, quæ Ansegisus Abbas vel sciens omiserat, vel si ignota inferere non poterat, collegit, & in libros tres digesta libris quatuor Ansegisi prioribus adjecit; unde jam libri septem numerantur. Benedictus hoc Opus ab Otgaro Episcopo suo iussus scripsit, & tribus Regibus tunc sceptrum rotantibus Ludovico, Lothario & Carolo dedicavit. Ceterum semper primo loco Ludovicum, nempe Regem suum, nominat. Constitutiones quoque Pipini & Fratris ipsius Carolomanni, quæ observantur, inseruit. Hujus Collectionis partes maxime ex Tabulis Bibliothecæ Moguntinæ excerptis; sed rerum delectis & ordo desideratur. Quod vero in sua præfatione

v. Baluz. n. II. 12.

præfatione dicat, Capitularia Auctoritate Sæculum IX.
 Papæ fuisse confirmata, id solum de Ca- A. C. 846.
 pitularibus Carolomanni, de quibus ipsi
 in hoc loco sermo est, accipiendum.

§. XXXIII.

Concilium Parisiense.

Lotharii Imperatoris & fratrum ipsius *Ann. Fuld.*
 discordiam pejus accendit Dynastæ
 cujusdam, cui nomen Gisalbertus, Regis
 Caroli Vasalli, temeritas, qui anno octin-
 gesimo quadragesimo sexto raptam
 Ermingardem Lotharii filiam matrimo-
 nio sibi jungere ausus est. Credidit Lo-
 tharius, non solum Carolo Auctore hoc
 facinus perpetratum, sed etiam Ludo-
 vicum Germanicum consensisse. Ludo-
 vicus quidem suspicionem hanc facile di-
 luit, sed fratrum animos reconciliare non
 potuit. Itaque Lotharius, ut Carolo vi-
 cem redderet, restitutionem Ebbonis in
 Sedem Remensem moliri cœpit, uno an-
 no postquam ordinatus fuisset Hincma- *Flod. III.*
 rus, quem Carolo addictum sciebat. *hist. c. 3.*
 Quamobrem petiit a Sergio Papa litte-
 ras, in quibus depositionem Ebbonis de-
 nuo ad examen vocari juberet, obtinuit-
 que, ut Papa scriberet epistolam ad Ca-
 rolum, in qua jubebat, ut Gundebaldum
 Archiepiscopum Rothomagensem cum
 quibusdam Episcopis Regni sui, & Hinc-
 marum mitteret Treviros, ubi conveni-
 rent

Sæculum IX. rent cum Legatis Romanis. Idem Papa
 A. C. 847. Gundebaldo & Hincmaro per litteras
 significavit.

Cum Rex Carolus minime e re sua fore existimaret, si Episcopis Regni sui potestatem faceret eundi Treviros, locum in Ditione Lotharii positum, ubi plena libertate non gauderent, postquam Legati Papæ advenerunt, Gundebaldus Concilium Parisiis celebrandum indixit, atque datis litteris Ebbonem & Papæ Legatos illo convocavit. Ipse Gundebaldus illo cum suis Suffraganeis se contulit; quo etiam Venilo Archiepiscopus Senonensis, Landranus Turonensis & Hincmarus Remensis cum suis Suffraganeis venerunt. Landranus erat Archiepiscopus Turonensis senior, cui, cum Sedi suæ renunciasset, Ursmarus anno octingentesimo trigesimo sexto successerat. His Præsulibus Parisiis decima quarta Februarii, anno octingentesimo quadragesimo sexto, Indictione decima, id est, anno octingentesimo quadragesimo septimo secundum nostram numerandi rationem, nam ipsi annum in Festo Resurrectionis auspicabantur, congregatis, nec Ebbo, nec quisquam ipsius nomine adfuit, & ne quidem litteris datis absentiam excusavit. Tunc vero Gundebaldus alique hujus Synodi Episcopi datis litteris ei significarunt, ipsi interdictum esse, quidquam

Vid. Coint.
 836. n. 58.
præf. Conc.
Meld. v. obs.
Labbe to. 8.
Conc.

quam ad occupandam Sedem Remensem moliri, aut ob hanc causam ulli hominum molestum accidere, donec coram Episcopis secundum Papæ Sergii mandatum Canonice fuisset iudicatus. Ebbo non respondit, & annis adhuc quinque, quibus superstes fuit, nunquam amplius vel ab aliquo Concilio, vel a Sacra Sede restitui petiit.

In hoc Concilio Parisiensi Episcopi ultimam manum Canonibus, a se Meldiense Junio anno octingentesimo quadragesimo quinto conscriptis, apposuerunt, & Præfationem composuerunt, in qua queruntur, se toties & frustra Regem & Principes fuisse exhortatos, ut ad reformationem Reipublicæ & Ecclesiæ incumberent. Dicunt, præsentibus calamitatibus & præcipue continuis Normannorum incursionibus admonitionum suarum contemptum puniri. Tunc etiam a Patribus petiit Paschasius Abbas Corbejensis, ut Literæ Ludovici pii & Lotharii confirmarentur, quo Monasterio huic liberam electionem, & potestatem de Bonis suis decernendi conservaret. Item, ut confirmarentur Literæ Regis Caroli, qui se illius Cœnobii Tutorem dicebat. Concessit Concilium, quod petebat, addito hujus Monasterii insigni elogio, quod a foundationis suæ tempore Sacræ Regulæ statuta exacte servas-

Sæculum IX.

A. C. 847.

to. 7. Cons.

p. 1818.

ibid. p. 1848.

Sæculum IX. servasset. Actis hujus Confirmationis
A. C. 847. subscripserunt Episcopi viginti quinque,
 inter quos sunt tres Metropolitanæ, Hincmarus, Gundebaldus & Venilo. Reliqui
 iidem ferme sunt, quorum nomina post
 Synodum Meldensem leguntur.

§. XXXIV.

Paschasius Abbas Corbejensis.

Sup. Lib.
XLVII.

§. 33.
Mabil. to. 6.
Act. p. 125.
Id. n. 16.

Marculf. II.
form. c. 24.

43. Sup.
XXXIX.

§. 28.

Paschasius Ratbertus Abbatiali potestate Monasterium Corbejense ab anno octingentesimo quadragesimo quarto regebatur, Diaconatus Ordine insignitus; nec enim unquam, sicut etiam Ludovicus Abbas S. Dionysii, ad altiorem ascendit. Illo igitur tempore, quo Abbas erat, Librum suum de Evcharistia Regi Carolo tradidit, loco munusculi, quod in majoribus Festis Principibus offerri mos erat, ut, cum de formulis Marculfi sermo mihi esset, notavi. Ratbertus igitur a Rege invitatus, Donum istud protulit, sperans, Opus suum eo magis utile futurum, quo magis in lucem emitteretur. Liquet etiam, illo usque nulli disputationi ansam dedisse.

Aliquamdiu priusquam Abbas esset Paschasius Tractatum scripserat de partu Virginis, cujus scriptionis hæc fuit occasio. Ratramus, ejusdem Cœnobii Corbejensis Monachus, cum audivisset, doceri in Germania, Jesum Christum non
 sicut

ficut alios parvulos exivisse e sinu Sanctæ Matris suæ, sed modo prodigioso, arbitratus est, hanc opinionem veritati Incarnationis adversari, eamque edito Scripto stili satis acerbi impugnavit, imo & Hæresis accusavit. Attamen fatetur, de Fide Catholica credendum, Mariam sicut prius, ita etiam post partum, Virginem permansisse. Illico contra Ratramum Paschasius calamum strinxit, defendens opinionem communem de modo prodigioso, quo Jesus Christus natus esset; ut vere affirmari possit, Sanctam ejus Matrem semper fuisse Virginem, & cum sine concupiscentia concepisset, etiam a partus doloribus fuisse exemptam. Hoc Opus Paschasius Theodrabebæ Abbatis in Civitate Sueffionensi, & Sacris Virginibus ipsius curæ commissis inscripsit. Respondit Ratramus, iterumque Responsum Paschasius refutavit; quæ Scripta per errorem aliqui S. Ildéphonfi Toletani calamo edita putarunt. Non legimus, ullos motus hanc disceptationem fuisse secutos; & sine dubio ejusmodi quæstiones inutiles & indecoræ melius silentio pressæ fuissent. Sed nempe in illius ætatis Scriptoribus inter Barbaros impolite educatis primorum Ecclesiæ Doctorum sapientia & discretio requirebatur.

Sæculum IX.

A. C. 847.

to. I. Spicil.

p. 318.

*Tom. VIII.**Bibl. Patr.**Paris. p. 426.**282. to. 12.**Bibl. Lugd.**p. 565.**v. Præf. to. I.**Spicil.*

Sæculum IX.
A. C. 847.

§. XXXV.

Capitulare Epernacense.

Episcopis Regem Carolum continuo urgentibus, ut Articulos Reformationis, quos ipso iubente in Conciliis Meldensi & Parisiensi partim condiderant, partim collegerant, sua Auctoritate firmaret, tandem mense Junio Comitatu peculiaria Epernaci ad Matronam amnem in Diœcesi Remensi convocavit; ubi salutaria Episcoporum monita usque adeo fuere contemptui habita, ut vix alterum hujus rei exemplum inter Principes Christianos in tota Historia Ecclesiastica occurrat. Ita nempe hac de re scribit Auctor illius temporis; in titulo præmissio autem Capitulorum in Villa Epernacensi excerptorum dicitur: *Hæc quæ sequuntur Capitula excerpta sunt ex Capitulis anno octingentesimo quadragesimo sexto ab Episcopis in Synodis suis, nempe a Gundebaldo, Ursinaro, Hincmaro, & Amalone cum Suffraganeis suis editis, & Regi, sicut ipse jusserrat, traditis, ut Epernaci Villa Ecclesie Remensis relegerentur. Et quia factione quorundam Procerum animus ipsius Regis contra Episcopos commotus est, remotis & exclusis ab illo Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis hæc tantum observanda collegerunt, scriptaque Episcopis*

Ann. Bert.
846. to. 2.
Capit. p. 30.
to. 7. Conc.
p. 1852.

pis tradiderunt, dicentes, Regem & ipsos Sæculum IX.
nihil amplius de eorum Capitulis acce- A. G. 847.
ptasse. Urfmarus erat Archiepiscopus
 Turonensis, & Amalon Lugdunensis, qui
 in Conciliis præcedentibus non nomi-
 nantur.

Articuli Epernacenses sunt numero
 novemdecim; quippe ad hanc paucita-
 tem Proceres octoginta Canones Mel-
 denses redegerunt, & positis illis, qui ad
 Ecclesiasticos spectabant, omnes ceteros,
 qui ad emendandos ipsorum Laicorum
 mores tendebant, rejecerunt.

§. XXXVI.

Saraceni Romæ.

Interim Itali semper Saracenorum arma Ann. Fuld.
 vel experiebantur, vel timebant. Cum Et Bertin.
 volveretur annus octingentesimus qua- 846. Anast. &
 dragesimus sextus Saraceni ex Africa, in Leon. IV.
 qui & Mauri dicebantur, mense Augusto
 Tiberi adverso Romam devehuntur, &
 quia muros superare non poterant, Ec-
 clesias S. Petri & S. Pauli extra urbem
 positas diripiunt, omnem cultum & di-
 vitias, atque etiam Altare argenteum,
 quod erat supra sepulchrum S. Petri, au-
 ferunt. Relicta Roma Fundos perve- Chr. Cassin.
 niunt, quam civitatem cum, multis in- l. I. c. 27.
 terfectis, igne succendissent, captivos se-
 cum trahentes mense Septembri prope
 Cajetam castra metantur. Missæ a Præ-
Hist. Eccles. Tom. XI. Ff *fecto*

Sæculum IX.
A. C. 847.

fecto Spoletano Francorum copiae turpiter victæ fugam capeffunt. Has dum Saraceni persequuntur, ad loca deferuntur vicina Monti Cassino, cujus Monasterii ingentes esse divitias fama perceperant. Sed cum nox rueret, tentoria fixerunt, rati opimam prædam sibi eripi non posse; nam nulla erant Monasterii munimenta, & unico rivo, cujus vadum facile teneri posset, dividebantur. Fratres præsentissimo mortis periculo percussi nudis pedibus & cinere capillis insperso ad Ecclesiam S. Benedicti procedunt, ibique in lacrymis & oratione pernoctant. Tunc cæli serenitas, quæ erat maxima, subito inductis nubibus turbatur, ruit copiosissimus imber, & ita crescunt aquæ, ut transire nemo valeret. Mane Saraceni ex castris profilientes vadum quærunt aut cimbæ, & utraque spe fallente dentibus frendent, & admordent digitos. Tandem amissa præda, postquam duas Cellas seu prædia Monasterii, quæ trans rivum erant, incendio vastassent, ringentibus ad sua castra redeundum fuit.

§. XXXVII.

Sergii II. obitus. Leo IV. Papa.

*Ann. Bert.
847. Anast.
Papeb.*

Saracenis etiamnum in Italia grassantibus improvise Sergium II. Papam mors e vivis eripuit vigesima septima Janua.

Sæculum IX. mense Martio creavit Presbyteros octo,
A. C. 847. Diaconos tres, & per diversa loca Episcopos viginti tres. Complures Ecclesias Romanæ Urbis reparavit & ornavit, inter alias Basilicam S. Silvestri, Titulum suum, ubi translatis multis Sanctorum Corporibus Monasterium fundavit. Sepultus est in Basilica S. Petri; sed antequam illuc deferretur, Successor ei una omnium voce electus Leo IV. Romanus, Rodoaldi filius. Is Monasterio S. Martini extra Urbem & prope Basilicam S. Petri, ut in sacris literis erudiretur, a parentibus traditus, a Gregorio Papa IV. percrebrescente illius pietatis fama, in Palatium Lateranense evocatur, familiaribus adscribitur, & Subdiaconus ordinatur. A Sergio II. deinde Presbyter Titulo Sanctorum coronatorum consecratus, inde invitus, cum Papa esset electus, in Lateranum trahitur; ubi omnes pro more ejus pedes osculati sunt.

Ut vero tam festinanter eligerent Pontificem, urgebat Romanos metus Saracenorum, qui S. Petri Basilica expilata necdum procul ab Urbe recesserant. At cum

ben. Ergo habemus virum Protestantem fatentem, saltem a nemine per tot Sæcula ante Lutherum totam Veritatem fuisse agnitam! ubi Jesu Christi promissum, *ille vos docebit omnia?* Joan. 14.

cum sine consensu Imperatoris Papam ordinare non auderent, Sacra Sedes duobus mensibus & quindecim ferme diebus vacavit. Tandem in illa trepidatione veriti, ne Roma secundo obsideretur, Leonem Papam duodecima Aprilis consecravit, etiam si Imperatoris consensus necdum fuisset allatus; profitentur tamen, se fidem servare, qua post Deum Cæsari obstringerentur. Interim Saraceni conscensas naves prædis onustas Africam versus impellunt. Ecce autem Jesum Christum & Apostolos blasphemantes sæva tempestas ulciscitur. Collisæ inter se naves solvuntur, & submerguntur pleræque. Cum corporibus, quæ fluctus rejecerunt in littora, inventa est aliqua pars thesauri ex Ecclesia S. Petri adempta, & illo relata. Non omnes tamen Saraceni ex Italia solverant; nam ex ipsorum Ducibus unus, qui ad ferendam Radelgiso opem venerat, Beneventi commorans, eodem anno capta Civitate Telesensi Monasterium S. Mariæ †† diripuit.

Leo, Papa electus, nihil antiquius habuit, quam direpta Ecclesiæ S. Petri ornamenta restituere, quam curam toto Pontificatus sui tempore scilicet annis octo nunquam dimisit. Huic Ecclesiæ donavit Cruces, Imagines, Calices, Candelabra diversi generis, siparia seu tape-

Sæculum IX.
A. C. 847.

Anast.

Ann. Bert.

Chro. Cass. I.
c. 28.
†† de Cingle.

Anast.

Sæculum IX. A. C. 847. tes pretiosissima materia contextos, ho-
 minum & animalium simulacris decora-
 tos. Imprimis autem totus fuit in or-
 nanda Confessione, id est, Sepulchro S.
 Petri, & Altari, quod supra positum e-
 rat. In fronte posuit tabulas aureas, ful-
 gentibus gemmis distinctas, & opere ver-
 miculato suam atque Lotharii Imperato-
 ris imaginem exhibentes; quarum om-
 nium pondus ducentas sexdecim auri li-
 bras exæquabat. Addidit limbos argen-
 teos ducentarum octo librarum, & Ci-
 borium seu Umbraculum sexcentarum
 librarum. Omne argentum, quod Leo
 in hanc solam Basilicam contulit, & cu-
 jus pondus memoratur, ter mille octin-
 gentas sexaginta & unam libras exæ-
 quat, quod quinquies mille septingentas
 nonaginta & unam marcas conficit. A-
 lias quoque Ecclesias pro cujuslibet Di-
 gnitate, inter ceteras Titulum suum qua-
 tuor Coronatorum exornavit. Restau-
 ravit Aulam, in qua Antecessores ipsius
 in Nativitate Domini convivia solemniter
 celebraverant, nam istud sub duobus
 postremis Pontificibus intermissum fue-
 rat.

§. XXXVIII.

*S. Ignatius Patriarcha Constanti-
 nopolitanus.*

*vit. S. Joan.
 e. 58. ap. Sur.
 4. Nov.*

Haud multo post alium Patriarcham
 Sedes Constantinopolitana accepit.
 S. Me-

S. Methodius certior factus, quod S. Joannicius morti proximus esset, ad eum in-
 visit, precibus ipsius se commendat, & longis colloquiis animum levat. S. Joannicius vero Patriarchæ adventum summo honori ducens prædixit, eundem sibi non diu superstitem futurum. Verum dixisse eventus comprobavit, nam S. Joannicius, cum annum ætatis ageret octogesimum primum, die decima quarta Novembris, anno Michaelis Imperatoris quinto, id est, anno octingentesimo quadragesimo sexto, fatis functus
 S. Methodius hydrope correptus, post menses octo nempe decima quarta Junii anno octingentesimo quadragesimo septimo ad regna cælestia secutus est, postquam Sedem Constantinopolitanam annis quatuor tenuisset. Dicitur solitus fuisse portare fasciam, qua ejus mentum sustinebatur, quod in persecutione maxillæ ipsius fuissent contractæ, idque gerere apud Successores ejusdem tanquam singulare decus in morem abiisse. Ecclesia amborum memoriam illa die, qua obierunt, colit. S. Methodio in Sedem Constantinopolitanam successit S. Ignatius Antecessore suo illustrior. Is Michaelis Rangabei Imperatoris, qui anno octingentesimo decimo tertio Leoni Armeno Regnum tradiderat, & Precopiæ ex Imperatore Nicephoro genitæ filius

Sæculum IX.
 A. C. 847.

vit. S. Meth.
 n. 17. Boll. 14
 Jan. to. 20.
 p. 967. Glys.
 p. 290.
 Martyr. Ro.
 14. Jul. & 4.
 Nov. vit.
 Ign. per Nic.
 to. 8. Conc.
 p. 1180.
 Sup. Lib.
 XLV. §. 50.

Sæculum IX. natu minimus in primis cunis Nicetæ no-
 A. C. 847. men acceperat, sed parente e folio Orien-
 tis dejecto comam sibi radi petiit, & Ignatius vocari voluit, annum agens ætatis teneræ decimum quartum. Leo, ut æmulos etiam a spe regnandi amoveret, Michaellem & tres filios in varias Insulas relegavit, & in pueros, quos e fonte Sacro levaverat, fævus, exsecari omnibus virilia iussit. Ignatius bona fide institutum Monasticum amplexus ita in virtutem semita profecit, ut defuncto Abbate in ejus locum substitueretur. Ipse deinde in tribus Insulis, quæ *Platos, Hyattros, & Terebinthus* seu Insulæ Principum dicebantur, Monasteria condidit. Ordines Sacros accepit de manibus Basilii Episcopi Civitatis *Paræon*, seu *Paros* in Hellesponto, qui in persecutione Iconoclastarum plurima forti animo tulerat. A Basilio igitur primo Lectorem, deinde Subdiaconum, Diaconum & tandem Presbyterum ordinatum Catholici multi, cum Iconoclastis communicare nolentes, tum ex Civitate Constantinopolitana, tum ex vicinis Bithyniæ urbibus Ignatium adibant, & liberos suos baptizandos afferebant. Ille omnes ad se venientes erudiebat, adversus hæresim confirmabat, & præterea persecutionem patientes, captivos, exules, suis bonis spoliatos adjuvabat; qua in re piam operam

peram etiam conferebant mater ejus & Sæculum IX.
 soror, quæ ad extremam senectutem per- A. C. 847.
 venientes maximam opum suarum par-
 tem in hæc Charitatis opera impende-
 runt. Talis erat Ignatius illo tempore,
 cum ceteris omnibus, quibus Sedes Con-
 stantinopolitana destinabatur, prælatus
 est. Tunc annum ætatis numerabat
 quadragesimum octavum, atque illam Se-
 dem annis undecim & sex mensibus te-
 nuit.

§. XXXIX.

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus.

Mense Octobri ineunte ejusdem anni *Sup. Lib.*
 octingentesimi quadragesimi septi- *XLVI. §. 49*
 mi celebratum est Moguntia Concilium *Mabill. to. 6.*
 Rabano Præsidente, qui Othgario Archiepis- *act. p. 41.*
 copo vigesima prima Aprilis defuncto
 successerat. Rabanus viginti annorum
 spatio Abbatiam Fuldensem rexerat, quo
 tempore plerosque Libros suos scripsit.
 Primo, a Monachis suis rogatus scripsit
 Commentarium suum in S. Matthæum,
 eumque Haistulfo Archiepiscopo Mogun-
 tino, cui jam anno octingentesimo deci-
 mo nono Opus suum de Institutione
 Clericorum obtulerat, inscripsit. Hic
 Commentarius, sicut plerique alii a Ra-
 bano scripti, nihil ferme aliud, quam Tex-
 tum ex SS. Patribus collectionem con-
 tinet.

Ff 5

Circa

Sæculum IX.

A. C. 847.

Circa annum octingentesimum trigessimum Freculfo Episcopo Lexoviensi suam Explicationem in Octateuchum, id est, in octo primos Veteris Testamenti Libros, misit, instantissime ab eodem Freculfo rogatus, cum ipse scribere non posset, usque adeo libris destitutus, ut ne quidem Bibliam integram haberet. Cum exitiosæ rixæ inter Ludovicum piûm & liberos ejus ferverent, ea prudentia usus est Rabanus, ut neutrius partis amicitia exciderit. Anno octingentesimo trigesimo quarto scripsit Ludovico Epistolam consolatoriam, misitque deinde collectionem Textuum ex Scriptura, ex quibus docentur filii & subditi, quam districtum sit divinum præceptum, ut illi parentibus, & hi Principibus obediant. Paulo post Imperatori Fuldæ commoranti Librorum Regum Explicationem, rogante Hilduino Abbate a se scriptam, & postea etiam explanationem Librorum *Paralipomenon* obtulit. Anno octingentesimo trigesimo sexto Commentarios suos in Libros Judith & Esther Judithæ Imperatrici nuncupavit, addita causa, quod ipsa unius nomen & supremam alterius Dignitatem sortita esset. Ludovico piû defuncto Rabanus libros suos in Jeremiam, atque haud diu post Commentarium in Ezechielem Lothario Imperatori dedicavit.

Tunc

Tunc temporis vero Rabanus solitudinis quiete fruebatur; quippe postquam Monasterio Fuldensi annis omnino viginti præfuisset, anno octingentesimo quadragesimo secundo, abdicato Abbatis munere, citra Rhenum in Regnum Lotharii se recepit. Miserunt Monachi, qui rogarent, ut rediret, & ipso venire recusante Abbatem elegerunt Hattonem, cum ipso olim Alcuini Discipulum. Post paucos dies rediit Rabanus, seseque in cellula montis S. Petri prope Monasterium abdidit, ubi denuo calamum resumens libros vulgavit. Otgaro Archiepiscopo inscripsit librum Pœnitentialem, & Drogoni Episcopo Metensi Tractatum de Chorepiscopis, in quo Episcopis suadet, ut a Chorepiscopis Ordines Sacros conferri consentiant, cum Consecrationem (*) Episcopalem habeant.

Sub idem tempus ad varias quæstiones de pœnitentia sibi a Reginboldo Chorepiscopo Moguntino propositas respondit. In illo otio præterea composuit viginti

Sæculum IX.

A. C. 847.

*Elog. Mabill. p. 29.**to. 8. Conc. p. 1852.*Rabani
Scripta.*ibid. p. 1485.*

(*) Ut aliis temporibus & locis retulimus, non semper Chorepiscopi Ordinem Presbyteratu altiozem habebant. At Chorepiscopi, de quibus hic sermo est, vere Ordine Episcopali, sicut hodie Episcoporum in Germania Vicarii in Pontificalibus Generales, insigniti fuisse videntur.

Sæculum IX. ginti duos libros de Univerſo, quos Hai-
 A.C. 847. moni ſuo olim in literarum ſtudiis Con-
 diſcipulo inſcripſit, & in Epiſtola mun-
 cupatoria hortatus eſt, ne mores illorum
 Episcoporum imitaretur, qui magis re-
 rum temporalium judiciis, quam populi
 inſtructione occupabantur.

Cum Operis hujus de Univerſo fa-
 ma ad aures Ludovici Regis Germaniæ
 perveniſſet, illud ſibi expetiit, & a Ra-
 bano miſſum accepit. Nam illi Reges
 erudiri cupiebant, & Lectores alebant.
 Ceterum in hoc Opere primum agitur
 de Deo, deinde de omnibus Creatura-
 rum ordinibus, nihilque ferme aliud oc-
 currit, quam explicatio nominum, & ver-
 borum definitiones, quo facilius ſenſus
 Historicus & Myſticus S. Scripturæ ca-
 piatur. Rabanus adhuc juvenis, Alexi-
 no id conſilii ſuggerente, duos libros de
 Laudibus S. Crucis conſcripſerat, vigin-
 ti & octo Schematibus Myſticis illuſtra-
 tos. Quælibet figura delineata eſt in
 tabula, cujus area verſibus impleta, &
 literæ, quæ in ipſa figura conſpiciuntur,
 itidem verſus ſunt. Opus hoc immenſi
 laboris & modicæ utilitatis nihilominus
 in tanto pretio fuit, ut Rabanus illud Lu-
 dovico pio Imperatori offerendum exi-
 ſtimaret. Imo illud etiam poſtea Ro-
 mam miſit, ubi Sergio Papæ anno octin-
 geſimo quadrageſimo quarto tradi-
 tum

Rab. to. I.
 p. 173.

Ann. Fulch.
 844.

tum fuisse, illius temporis Annales memorant. Sæculum IX.
A. C. 347.

Itaque Rabanustum Scriptis, tum singulari prudentia clarissimus, quamvis esset infirmus & senectute gravis, nam certe septuagenarius erat, in conspectum Regis Ludovici deducitur, eoque consentiente, die S. Joanni sacra, vigesima quarta Junii, anno octingentesimo quadragesimo septimo, Archiepiscopus Moguntinus eligitur, & consecratur.

§. XL.

Concilium Moguntinum.

Rabanus post trium mensium spatium jubente Rege Ludovico Synodum suam convocavit eundem in quem Concilium Meldense in Regno Caroli fuerat celebratum, nimirum, ideo præcipue, ut Bonorum Ecclesiasticorum Usurpatores reprimerentur. Cum Archiepiscopo adfuerunt duodecim Episcopi Suffraganei, & præ ceteris noti, Samuel Wormatiensis, Baturadus Paderbornensis, Hebo Hildesheimensis, Hemmo Halberstadiensis, S. Anscharius tunc Hamburgo expulsus, ut suo loco retulimus, Salomon Constantiensis cum Chorëpiscopis, Abbatibus, Presbyteris, & reliquis Clericis. Ubi omnes Moguntiaë fuere congregati, triduo jejunarunt, ad Ecclesias inter preces publicas procedentes,

to. 8. Conc.
p. 39. v. Boll.
Comm. §. 9.
13. 49. to. 3.
p. 510.
Sup. n. 31.

Sæculum IX. tes, & Dei Gratiam sibi ad Concilium
A C. 847. coituris implorantes. Statuerunt deinde in singulas Diceceses Decretum mittere & præcipere, ut ter mille quingentæ Missæ pro Rege, Regina, eorumque liberis celebrarentur, & centies decies septies Psalterium recitaretur.

Convenerunt deinde in Monasterio S. Albani, ubi secundum antiquam consuetudinem Synodos celebrabant. Tum in duas turmas divisi sunt. Prima erat Episcoporum, qui cum suis Notariis sacram Scripturam, Canones, Patrum Scripta scrutabantur, unde argumenta & auctoritatem producerent ad conservandum Disciplinam Ecclesiasticam. Ex altera parte Abbates sedebant cum delectis Monachis, qui S. Benedicti Regulam legebant, unde Monasticæ Disciplinæ rigorem restituerent. In illis Collationibus conditi sunt Canones triginta & unus; mihi vero notatu digna visa sunt sequentia.

6. 2.

Quilibet Episcopus habeat Homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur, easque transferri curet in rusticam Romanam linguam aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur. Nempe hæ duæ linguæ in toto Francorum Imperio vulgares erant. Antequam conferatur Baptismus, observetur Scrutinium,

6. 3.

tinium, & illis solum conferatur tempo- Sæculum IX.
 ribus, quæ a Romano Pontifice legitime A. C. 847.
 sunt constituta.

Qui contra Regem vel Ecclesiasticas c. 5.
 Dignitates vel Reipublicæ potestates con- c. 6.
 juraverint, excommunicentur. Usur-
 patores Bonorum Ecclesiasticorum ex-
 communicantur, & Regis præsidium con- c. 14.
 tra eos exposcitur. Monachi nihil jure
 proprietatis possideant, negotiis sæcula-
 ribus non implicentur; imo interdicun- c. 17. 18.
 tur eis functiones sacræ, nisi Episcopus
 consenserit. Rex admonetur, ne pau- c. 31. 21. 22.
 peres ingenuo sanguine natos opprimi 23. 24.
 patiatur; nam illa ætate pars plurima c. 20.
 plebis adhucdum servitutis vinculo ad-
 stringebatur. Complures Regulæ pœ-
 nitentiales præscribuntur. Parricidis an-
 tiqui pœnam statuerant, ut juxta exem-
 plum Caini tota vita sua in orbe erra-
 rent; unde arrepta occasione ebrietati
 aliisque hac pejoribus vitiis indulgebant.
 Decernit Concilium, ut in uno loco per-
 maneant, rigidissimæ pœnitentiæ leges
 fervent, non militent, nec unquam uxo- c. 25.
 rem accipiant.

Quidam Presbyteri Ordine suo de-
 cti pœnitentiæ causa varias peregrinatio-
 nes suscipiebant; cumque eorum non
 nulli fuissent interempti, Concilium con-
 tra percussores excommunicationem pro-
 nunciat.

Pres-

Sæculum IX. Presbyteri ab ægrotis exigant, ut
 A.C. 847. confiteantur, iisque pœnitentiam, quam
 c. 26. subire deberent, indicent, sed non injun-
 gant. Amici autem infirmorum defe-
 ctum precibus & eleemosynis suppleant.
 Attamen si infirmi convaluerint, pœni-
 tentiam impleant. Qui ob admitta sceler-
 c. 27. lera ultimo supplicio afficiuntur, post
 mortem suam Ecclesiæ suffragiis non pri-
 ventur, nec vivis Communio denegatur,
 si vere pœnitentes sint & boni la-
 tronis exemplum sequantur. Credo,
 hic vocem *Communio* solam absolutio-
 nem significare. (*)

Epi-

(*) Non sine fundamento ita opinatur Pleu-
 rius; nam alias in Historia Ecclesiastica legitur,
 non fuisse concessum, ut S. Eucharistia ad illos,
 qui morti addicebantur, deferretur, atque id e-
 tiam ipsius Concilii Verba in Act. Conc. Edit.
 Paris. indicare videntur. Sunt autem sequentia.
*Quibus respondimus: Si omnibus de peccatis
 suis puram Confessionem agentibus & dignis
 pœnitentibus Communio in fine secundum Ca-
 nonicum iussum standæ est, cur non eis, qui pro
 peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Et
 inferius: Salutem ergo homini adimit, qui
 quis mortis tempore pœnitentiam denegat &c.*
 Præterea sæpe etiam fit mentio de conceden-
 da moribundis Communione; quod sine com-
 mitante Absolutione a peccatis explicari vix
 potest.

Episcopi his Articulis ad Regem Lu-Sæculum IX.
dovicum missis rogarunt, ut iis suo con- A. C. 847.
sensu auctoritatem conciliaret, addide-
runtque Epistolam Synodicam, in qua in-
ter alia queruntur, quod reverentia lo-
cis Sacris debita impudenter læderetur.

6. 31.

In eodem Concilio damnata est mu- *Ann. Fuld.*
lier, nomine Thiota, quæ Prophetissam
se simulans turbaverat totam Diœcesim
Constantiensem, patriam suam, quæ re-
gio illa tempestate Allemannia diceba-
tur. Hæc fœmina commenta est, quos-
dam eventus antea soli Deo notos sibi
cœlitus fuisse revelatos, præsertim Mun-
di finem, quem dicebat hoc ipso anno
imminere. Et permulti utriusque sexus
his vaticiniis territi munera copiosa mu-
lieri afferebant, & ipsius precibus se com-
mendabant. Quin imo non nulli viri
Ecclesiastici mulierem in Allemannia huc
& illuc errantem comitabantur. Cum
Moguntiam venisset, ad S. Albanum &
conspectum Episcoporum deducitur, qui-
bus versipellem accurate interroganti-
bus compulsæ est fateri, quod Presbyte-
ro quodam id consilii suggerente, frau-
dem adornasset, & lucelli spe ad hæc
mendacia animum adjecisset. Ergo in
Concilio damnata, & publice virgis a-
cerrime cæsa justas pœnas dedit, quod
fœmina Prædicationis ministerium con-
tra morem & præcepta Ecclesiæ sibi ar-

Hist. Eccles. Tom. XI.

Gg

ro-

Sæculum IX. rogasset. (*) Ita principium infamie
 A. C. 848. huic mulierculæ vaticinandi finis fuit.

§. XLI.

Initia Gotteschalci.

Mang. diff.
c. 1. Mabill.
præf. to. 6.
c. 2. n. 139.
Annal. Fuld.
848. Bert.
849. Hincm.
ad Nicol.
Pap. to. 2. p.
262. epist. 3.

Anno sequente octingentesimo quadra-
 gesimo octavo alterum Moguntia
 Concilium Rabanus celebravit ad da-
 mnandos errores, quos Gotteschalcus
 Monachus docere deferebatur. Is, alio
 nomine Fulgentius, natione Germanus,
 sed in Monasterio Orbacensi Diocesis
 Sueffionensis Monachum professus sub
 Abbate Bavone impensius incubuit ad le-
 ctionem Patrum, præsertim S. Augustini,
 cujus plurimos textus suæ memoriæ im-
 pressit. At nocuit juveni occulta scien-
 di cupido, quod ex admonitionibus pru-
 dentissimi viri, Lupi Abbatis Ferrariensis,
 cognoscimus. Nam cum eum consuluis-
 set de quæstione, an post resurrectionem
 Beati Deum oculis corporis visuri sint,
 respondit Lupus primo, nullum se ad e-
 jusmodi quæstionem responsum daturum
 fuisse, se sine læsione charitatis potuis-
 set silere. Deinde motam quæstionem
 pertractat, & addit: *Exhortor te, Ve-*
nerabilis Frater, ne ingenium tuum se-
mili-

(*) En, exemplum pænæ corporalis a Con-
 cilio inflictæ, nisi dicatur, id Auctoritate Regis
 factum.

milibus quæstionibus amplius fatiges; Sæculum IX.
 nam sic futurum esset, ut inutili studio A. C. 848.
 exhaustus ad capiendas res altiores & ma-
 gis necessarias non sufficias; cur enim
 ea tantopere inquiramus, quæ forte scire
 necdum expedit? potius excurramus in
 vastissimos campos Sacrarum Scriptura-
 rum, eas studiosissime meditemur, oratio-
 nem lectioni jungamus, & tunc denique
 Dei Bonitate dignum erit, ut se nobis eo
 modo manifestet, qui naturæ nostræ con-
 venit, quando, quæ supra captum nostrum
 sunt, temere non investigabimus.

Ceterum Gotteschalcum etiam Wa-
 lafrido Straboni populari suo amicitia
 junctum fuisse constat. Presbyter or-
 dinatus a Rigboldo Chorepiscopo Remen-
 si circa annum deinde octingentesimum
 quadragesimum sextum, Sergio Pontifi-
 ce, peregrinandi studio ductus, Romam
 se contulit. In patriam redeuntem Got-
 teschalcum hospitio comiter excepit E-
 berardus inter purpuratos in aula Lotha-
 rii Imperatoris insignis, apud quem ali-
 quamdiu mansit. In illa commoratione
 de Prædestinatione disputavit ea liber-
 tate, quæ fidei adversari visa est Nothin-
 go Episcopo Veronensi. Is aliquanto
 post in Germaniam nempe regiones We-
 teraviæ vicinas profectus, ut Ludovi-
 cum juvenem Imperatorem videret, cum
 Rabano Mauro, jam tunc Archiepiscopo

Rab. ep. ad
 Noth. ap.
 Sirm. to. 2.
 p. 1312.
 v. Bandv.
 Logana.

Sæculum IX. Moguntino, de Gotteschalci errore col-
 A. C. 848. locutus est, placuitque consilium, ut Ra-

Cotteichal-
 cus.

Ap. Sirm. to.
 2. p. 1342.

banus ad refutandum hunc errorem ca-
 lamum arriperet. Stetit promisso, &
 eum Tractatum in forma Epistolæ con-
 cinnatum Nothingo inscripsit. Aliam
 Epistolam dedit ad Comitem Eberar-
 dum, in qua dicit: *Compertum nobis est,*
in domo tua diversari hominem semido-
ctum, nomine Gotteschalcum, qui affir-
mat, Prædestinationem Dei omnibus ho-
minibus necessitatem imponere, ita ut,
qui salvus fieri cupit, & ad hunc finem
consequendum fide & bonis operibus mu-
nitus pugnat, frustra laboret, nisi ad vi-
tam prædestinatus sit. Hoc errore jam
complures impulit in desperationem, qua
ipsis suggerit: Quid prodest mihi, si pro
Salute mea operer? Frustra Bonum facio,
si prædestinatus non sum; etiamsi vero
Malum faciam, Prædestinatio me tamen
ad vitam æternam perducet. Tum Ra-
 banus hunc errorem oppugnat ex Au-
 thoritate S. Augustini, S. Prosperi, alio-
 rumque Patrum, & in fine Epistolæ hor-
 tatur Comitem Eberardum, ut hospitem
 perversam Doctrinam spargentem domi-
 suæ non retineat.

Hæ Epistolæ Gotteschalcum ex Italia
 migrare coegerunt; cumque deinde
 Dalmatiam, Pannoniam & Noricum per-
 agrasset, venit Moguntiam. Illico Ra-
 banus

banus Synodum suam, scilicet ineunte Sæculum IX.
 Octobri anno octingentesimo quadrage- A. C. 848.
 simo octavo convocavit, cui Rex Ludo-
 vicus interfuit. Gotteschalcus oblato
 libello Doctrinam suam explicavit; *Ge-*
minam esse Prædestinationem. Quia si- Hincm. de præd. c. 5. p. 26.
cut Deus ante Mundi constitutionem
omnes Electos suos incommutabiliter per
gratuitam Gratiam prædestinasset ad vi-
tam æternam, ita etiam omnino omnes
reprobos propter ipsorum mala merita ad
mortem sempiternam prædestinasset. Ar-
guebat Rabanum dicentem, reprobos
non esse prædestinatos ad damnationem,
sed solum eam a Deo prævideri. Deus
enim, inquiebat Gotteschalcus, sua Præ-
scientia cognoscit, eos malum initium &
finem multo pejorem habituros, ideoque
ad pœnam æternam prædestinavit.

Doctrina in hunc modum a Gotte-
 schalco exposita a Concilio Moguntino
 rejecta est, & statutum, ut ipse ad Hinc-
 marum Archiepiscopum Remensem, in
 cujus Diœcesi ordinatus fuerat Presby-
 ter, mitteretur. Quam ob rem Raba-
 nus Epistolam Synodicam ad Hincma-
 rum dedit, in qua dicit; Gotteschalcum,
 Monachum Gyrovagum, docere, quod
 Deus prædestinet ad malum, sicut ad bo-
 num, & quod dentur homines, qui se
 convertere non possent, quasi vero Deus
 ab initio incorrigibiles creasset. At ista

Sæculum IX. Rabani expositio non accurata videtur,
 A. C. 848. nec illi satis consentanea, quam Hinema-
 rus ab ipso Gotteschalco editam citavit.
 Deinde Rabanus in sua Epistola dicit:
Hunc igitur mittimus tibi, & monemus,
ut in tua Diœcesi incluso non permittas,
amplius populum fallere; complures enim
ab ipso decepti & perversi feruntur.
 Præter hanc Epistolam dedit Rabanus ad
 Hinemarum aliam, in qua de ipsa Fidei
 Doctrina differit.

§. XLII.

Walafridus Strabo.

Bult. t. V.
s. 60.

Sup. Lib.
XLVI. §. 54

Walafridus Strabo, quem Gotteschal-
 ci amicum paulo ante fuisse dixi-
 mus, natus anno octingentesimo sexto, a
 prima ætate institutum Monasticum in
 Abbatia Augiæ divitis amplexus a Tar-
 tone Magistro bonis literis excultus est.
 Annum ætatis agens decimum octavum
 Visiones Wetini, ut supra advertimus,
 versibus reddidit. Fuldam missus sub
 Rabano Præceptore Sacris Literis ope-
 ram dedit. Rogatus a Monachis S. Galli
 scripsit vitam S. Galli & S. Othmari, il-
 lius Monasterii Fundatorum. Complu-
 ra etiam ab ipso composita exstant car-
 mina, in quibus aliquot viros illa tem-
 pestate claros celebrat. At duo Strabo-
 nis Opera præ reliquis memorabilia sunt,
 Glossa ordinaria, & Tractatus de Divinis
 Officiis.

Officiis. Glossa ordinaria sunt Adnota-
 tiones brevissimæ in totam S. Scriptu-
 ram, imprimis ex Commentariis Rabani
 excerptæ, quibus celebratiores per sex-
 centorum annorum spatium Orbis Chri-
 stianus non habuit.

Sæculum IX.
 A. C. 848.

Tractatus de Officiis Divinis post an-
 num octingentesimum quadragesimum
 scriptus est, cum in eo mentio fiat Lu-
 dovici pii jam defuncti, nata occasione
 ex quæstione de Imaginibus, de quibus
 Walafridus sobrie differit, tam illos vi-
 tuperans, qui imagines contemnunt,
 quam qui superstitione colunt, & docens,
 honorem creaturis convenientem esse
 exhibendum.

c. 8.

Quamvis non neget morem Vete-
 rum orandi versa ad Orientem facie, il-
 los tamen non damnat, qui Altaria vel
 Ecclesias, si magis commodum fuerit, al-
 io situ extruunt. Fatetur Campanarum
 usum non esse admodum antiquum, & ex
 Italia fuisse advectum. Tunc nempe ul-
 tra annos ducentos Campanarum usus
 in Francia vigeat, quod ex historia S. Lu-
 pi Senonensis liquet.

c. 4.

c. 5.

Sup. Lib.
 XXXVIII.
 §. 16.

Ceterum notat, linguam Teutonicam
 pleraque vocabula ad Religionem perti-
 nentia a Græco & Latino mutuasse.
*Quod inde factum, inquit, quia Barbari
 in Romanorum exercitibus stipendia me-
 rebantur, & permulti Præcones Verbi*

c. 7.

Gg 4

Divini

Sæculum XI. A. C. 848. *Divini ad eos erudiendos veniebant. Itaque nostri permulta utilia prius sibi ignota didicerunt præsertim a Gothis, qui post suscepta Christiana Sacra in Provinciis Græcorum habitantes lingua nostra scilicet Teutonica utebantur. Tum, qui inter eos doctrina excellabant, Libros Sacros in linguam suam transtulerunt, quarum Exempla etiamnum in multorum manibus sunt. Id quoque a Fratribus fide dignis nobis relatum, quod apud Scythas, præcipue Tomitanos, hodieque Divina Officia eadem lingua celebrentur.*

Soc. IV. c. 53 Hæc Translatio Scripturæ in usum
Sup. Lib. XVII. §. 36. Gothorum sine dubio illa fuerit, quæ Ulfilam Auctorem habet, & cujus suo tempore memini; sed alterius præter istud testimonii, Officium Divinum Lingua Teutonica fuisse peractum, non recorder.

c. 18. Auctor morem benedicendi agnum prope Altare, de quo Fideles in Festo Paschæ ante omnem alium cibum comedant, rejicit tanquam Superstitiones Judaicas redolentem; sed nihilominus hæc Benedictio etiamnum in fine Missalis Romani extat.

c. 20. Illud quoque notat, Fideles tempore S. Gregorii diebus Jovis in Quadragesima non jejunasse, sed ista consuetudine postea introducta Gregorium juniorem
(five

(sive Gregorium II. sive tertium putet) Sæculum IX. A. C. 848.
 etiam pro his diebus Missas & Officia S. Greg. IV. Dial. c. 56.
 ordinasse. Consuetudinem quotidie
 Missam celebrandi ab exemplo S. Cassii
 Narniensis comprobat. Dicit, Presby-
 teros diversas tenuisse consuetudines,
 cum aliqui unicam in die Missam, alii
 duas tresve, aut quot expedire videba-
 tur, celebrarent. *Qua in re, inquit, for-
 te nituntur Auctoritate Ecclesiæ Roma-
 næ, in qua non nunquam duæ tresve Mis-
 sæ, sicut in Nativitate Domini, aut in
 Festis quorundam Sanctorum, celebran-
 tur.* Imo id quandoque esse necessarium
 judicat, ut si in Festo solemniori Missa pro
 defunctis celebranda sit, aut alia causa
 superveniat. Diversa refert exempla,
 ut Leonis Papæ sæpe una die septies vel
 novies Missam celebrantis, & S. Bonifa-
 cii Moguntini nunquam sæpius quam se-
 mel in die Sacris operantis, additque,
 cuilibet licere facere quod videretur.

Walafridus antiquæ Liturgiæ Gal-
 licanæ, quam complures adhuc serva-
 bant, mentionem facit. *Consuetudo, in-
 quit, in Missa cantandi Symbolum Con-
 stantinopolitanum a Græcis ad Latinos
 pervenit, & præsertim post damnatum
 Felicem Urgelitanum in Gallia & Ger-
 mania invaluit. Hoc Symbolum in Hi-
 spania cantatur ex mandato Concilii To-
 letani (nempe tertii anno quingentesimo*

c. 21.

Sup.

c. 22.

Conc. Tolet.

III. c. 2. Sup.

I. XXXIV.

S. 56. Conc.

Tol. IV. c. 14

Sup. Lib.

XXXVIII.

G g 5

octo. S. 48.

Sæculum IX. octogesimo nono coacti) *item alterius*
 A.C. 848. Concilio in eadem Civitate (nempe quar-

De Divinis
 Officiis.

ti anno sexcentesimo trigesimo tertio)
præcipitur, ut singulis Dominicis in Mis-
sa Hymnus trium puerorum cantetur,
quod Romani propter Officiorum multitu-
dinem tantum quater in anno, quando
duodecim recitantur lectiones (nempe
 in quatuor Angariis) *cantant.* Auctor
 illos Laicos reprehendit, qui in pluribus
 Missis transeuntes offerebant, & Missæ
 finem non expectabant, aut qui crede-
 bant, tot oblationes sibi dandas, quot es-
 sent personæ, pro quibus orabant, quasi
 vero unicum Sacrificium non sufficeret
 omnibus. Non reprehendit pluries in
 die, si pluribus Missis interessent, com-
 municantes. Dicit legitimam Missam
 illam esse, ubi sunt Sacerdos, Respon-
 dens, Offerens, & Communicans. (*)

Primis

(*) *Legitimam*, nempe de congruo, non
 autem necessario. Nam si Verba Christi Domini:
Bibite ex hoc omnes, Matth. XXVI. tam stricte
 accipienda essent, ut volunt Protestantes, se-
 queretur, non solum aliquos, sed omnes Fide-
 les, qui intersunt, necessario & ex præcepto
 teneri Corpus Domini Nostri sumere. Sed
 præcepto Christi Domini satisficit, si Fideles se-
 cundum explicationem & præceptum Ecclesiæ
 semel in anno tempore Paschali S. Communio-
 nem accipiant præter obligationem in Festis &
 Domini

Primis temporibus, inquit, Sacerdotes in- Sæculum IX.
duti vulgaribus vestimentis operabantur A. C. 848.

Sacris

c. 24.

Dominicis Sancto Sacrificio assistendi. Deinde nullibi id præcipiunt Canones, ut in singulis Missis præter Sacerdotem etiam alii Fideles communicent. Præterea si, quod Protestantes admittunt, licet Sacerdoti consecrare Evcharistiam, ut devotioni alterius Fidelis communicare volentis seruiat, eumque S. Corpore & Sanguine Jesu Christi muniat, cur non etiam liceat, se ipsum solum sacratissimo hoc Corpore & Sanguine partecere? Ut nihil dicam de eo, quod Missæ insit ratio Sacrificii, quo Deus Pater Omnipotens honoratur, adoratur & nobis reconciliatur. In hoc videlicet maxime errant Protestantes, quod negent Evcharistiam esse Sacrificium contra omnium Sæculorum & SS. Patrum Testimonia, ut vidimus in Tractatu Domini Mede, qui cum negare non possit, Evcharistiam a veteribus Christianis frequentissime Sacrificium fuisse appellatum, vocem *Sacrificium* in alio sensu quam Ecclesia Catholica explicare irrito & vano labore adnititur, postquam in sui Tractatus exordio falsus est, quod hæc ipsa vox ingenia magnorum & eruditissimorum virorum Protestantium nimium quantum torqueat. Tandem advertendum, etiam tunc quando Sacerdos solus cum uno ministro celebrat, nihilominus in sensu literali & proprio adesse Sacerdotem, respondentem, offerentem, & communicantem, quod dicit Walafridus, quia Sacerdos,

ante-

Sæculum IX. *Sacris, quem morem ad huc a quibus-*
 A. C. 848. *dam in Oriente servari ajunt. Tempo-*

Greg. VII. re S. Gregorii non licebat omnibus E-
 c. 112. *Sup. piscopis Dalmaticam gerere, cum interim*
 l. XXXVI. *hodie omnes ferme Episcopi & aliqui Pres-*
 §. 10. *byteri hanc sub Casula gerere sibi lice-*
re putent. Cultum Archiepiscoporum

† Stola.

c. 25.

seu Summorum Pastorum recenset in
hunc modum: Dalmatica, Alba, Mani-
pulus, Orarium, † Cingulum, Sandalia,
Casula, & Pallium. Dicit, S. Paulinum
 Forojulensem sæpe in immolatione Sa-
 crificii præsertim in Missis privatis Hy-
 mnos recitasse. Tum ob Sacræ Sedis
 Reverentiam ejusmodi ritus ab omnibus
 prope Ecclesiis fuisse receptos, cum nullæ
 Traditiones magis imitatione dignæ sint.

c. 26.

Si necessitas postulat, omnis homo &
 etiam fœmina Baptismum conferre pot-
 est. Baptismus conferri potest per as-
 persionem.

c. 28.

In Hispania dies Rogatio-
 num post Pentecostem celebrabant, ne
 jejunarent tempore Paschali.

c. 31.

In fine
 hujus Tractatus Walafridus Dignitates
 & Munera Sæcularia cum Ecclesiasticis
 confert, dicitque: *Capellani principio*
dicti sunt a Cappa S. Martini, quam Re-
 ges

antequam consecret, panem utique Deo offert,
 & post consecrationem e suis ipse manibus Je-
 su Christi Corporis & Sanguinis Communio-
 nem accipit.

ges Franciæ, cum ad Bellum proficiscerentur, secum deferebant, ut eo facilius de hostibus victoriam reportarent. Ergo illi Clerici, qui Cappam portabant, Capellani vocati. Idem banc Cappam cum ceteris Reliquiis custodire adsueverant. Liber Pontificalis, S.Damasco adscriptus sæpe in hoc Walafri di opere adducitur. Ipse Abbas fuit Augiæ divitis annis septem, atque anno ætatis suæ quadragesimo tertio, salutis reparatæ octingentesimo quadragesimo nono ad superos abiit. Cognomentum latinum accepit Strabus seu Strabo, quod torvis esset oculis.

Sæculum IX.
A. C. 848.

§. XLIII.

S. Convoyo Abbas Redonensis.

Inter hæc Nomenojus, Britannia Dux, qui liberum se a Regis Caroli potestate credebat, Concilium convocat, urgente S. Convoyone Abbate Redonensi & admonente Principem, omnes illius Provinciae Episcopos Simoniaca labe esse inquinatos, imprimis autem Subsannium Episcopum Venetiensem; denique ab iis nec ullum Presbyterum nec Diaconum, nisi pecuniam daret, ordinari. S. Convoyo Principi iram Dei denunciabat, si hos abusus, cum posset, non tolleret. Ergo cunctos illius Provinciae Episcopos & Viros doctissimos adesse jubet; cum-

vit. S. Conv.

c. 10. to. 6.

Act. B. p. 211

que

Sæculum IX. que isti ex Episcopis quæsiuissent, an ve-
A. C. 848. rum esset, quod Sacras Ordinationes ac-
 cepta pecunia venderent, responderunt,
 se nihil aliud accipere, quam dona spon-
 te oblata, quæ sibi competerent. Post-
 quam diu & ferve de disputatum, inter
 ambas partes convenit, ut duo Episcopi
 Romam proficiscerentur, & omnes dein-
 de Papæ Judicio starent. (*) Hanc Le-
 gationem in se suscipere iussi sunt Sub-
 fannius Venetiensis & Felix Curisopiten-
 sis, rogavitque Nomenoyus Convoyo-
 nem, ut se itineris socium daret, coro-
 nam auro gemmisque claram ad S. Petri
 limina deferret, & a Pontifice Corpus
 licujus ex Antecessoribus suis Papæ Mar-
 tyris peteret.

S. Convoyo in Diœcesi Venetiensi lu-
 cem primo aspexerat. Cum deinde per
 aliquot annos illius Ecclesiæ Archidiaconus

(*) Secundum Canones primo ad Archie-
 piscopum Turonensem Metropolitanum per-
 nuisset hujus causæ cognitio, sed cum ille & E-
 piscopi Britanniaë diversis subessent Regibus, ut
 aliud remedium supererat, quam ad Summi Pon-
 tificis judicium recurrere. Ita contigit, ut, cum
 sæpe litigantes se sponte subjicerent, sæpe ve-
 ria adjuncta statim Sacram Sedem adire suade-
 rent, non solum majores Ecclesiæ universalis
 Causæ, sed etiam minores promiscue ad SS. Pon-
 tificum Tribunal devolyerentur.

nus sub Episcopo Ranario fuisset, deside-
 rio solitudinis ductus quinque viros Ec-
 clesiasticos plerosque Presbyteros ejus-
 dem Diœcesis socios sibi delegit, & a quo-
 dam Dynasta, cui nomen Ratwilus, Lo-
 cum, vulgo *Roton*, qui hodie Redonum
 dicitur, anno octingentesimo trigesimo
 primo donatum obtinuit. Quidam Ere-
 micola, nomine Gerfredus, qui Floriaci
 ad Ligerim S. Benedicti Regulam ad amuf-
 sim fervare didicerat, S. Convoyonem &
 Socios ipsius illa Disciplina imbuit; cum-
 que novum istud institutum a quibusdam
 hominibus, quos invidia urebat, turba-
 retur, Vir Sanctus Confratrem suum Lu-
 hemelum ad Nomenoyum Ducem, tunc
 Francis subjectum, misit ad exorandum
 præsidium. Ipse Dux ad Monasterium
 se contulit, eique nomine Ludovici pii
 Imperatoris agros donavit, qui eodem
 anno octingentesimo trigesimo quarto
 hanc donationem confirmavit, & aliqua
 alia munifice addidit. Ex quo autem fa-
 vor Principis hoc Monasterium S. Salva-
 toris Redonense adjuvit, mirum in mo-
 dum florere cœpit, ibique permulta mi-
 racula patrata, quibus & istud adnume-
 ratur: Homo quidam cœcus, cui nomen
 Coslinus, patria Pictaviensis, postquam
 recuperandi visus causa complura loca
 Sacra adiisset, in somnio admonetur, ut
 Redonum confugeret. Ubi illo perve-
 nit

Sæculum IX.
 A. C. 848.

Sæculum IX. nit coram S. Convoyone in terra prostra-
A. C. 848. tus ait: *Sancte Presbyter, miserere mei,*
& redde mihi oculorum usum, quem jam
ante multum temporis amisi. Vir San-
 ctus, postquam diu vocem tenuisset, di-
 xit. *Tace, frater mi! meum non est cæ-*
cis lumen reddere. Illo autem efflicto
 deprecari non cessante, jussit S. Abbas, ut
 ad hospitium pauperum deduceretur.
 Mox ad Ecclesiam S. Salvatoris delatus,
 convocatis omnibus illius Monasterii
 Presbyteris, ait: *Ite celeriter, Sacris ves-*
tibus induimini, & Deo Sacrificium of-
ferte. Iplis mandata peragentibus, di-
 xit deinde Abbas ad Monachum sibi mi-
 nistrantem, qui hanc historiam scripsit,
affer cito labrum æneum, in quo Presby-
teri peracto Sacrificio manus lavant. Et
 postquam manus abluissent, ait: *Defer*
hanc aquam ad cæcum, lavet oculos & fa-
ciem. Tu vero dic ei: *fiat tibi secundum*
fidem tuam. Cum igitur cæcus hac aqua
 se lavisset, exiit ex oculis & naribus ejus
 sanguis, quo tota facies perfusa, & con-
 festim visu recepto Deum laudans tres
 quatuorve dies in Monasterio versatus est.

§. XLIV.

Novi Episcopatus in Britannia.

Ubi S. Convoyo cum duobus Episcopis
 Romam pervenit, Leo Papa, convo-
 cata Synodo, illos quoque adesse jussit.
 Cum

Sæculum IX.
A. C. 848.

Cum vero Episcopi Britones increparentur, quod pro Ordinationibus munera accepissent, responderunt, se id fecisse ex ignorantia. At quidam Archiepiscopus, cui nomen Arsenius, dixit: *Episcopus nihil ignorare debet.* Subjecitque Papa illa verba ex Evangelio: *Si Sal evanuerit, in quo salietur?* Itaque Concilium declaravit; nulli Episcopo licere quidquam pro collatione ordinum accipere sub poena Depositionis. Idem Concilium plures alias quæstiones, de quibus Episcopi Britanniae Sacram Sedem consuluerant, resolvit, quod ex Epistola Papæ ad eos data liquet. In ea Summus Pontifex loquitur in hunc modum:

Matth. 5. 31.

Requiritis, an Episcopi Simoniaci convicti possint servato Episcopali Ordine penitentiam agere, & responderemus, secundum Canones esse deponendos, si modo sententia feratur in Concilio & a duodecim Episcopis, aut si per septuaginta duos idoneos testes probentur rei. Si autem Episcopus accusatus petat Romæ audiri, illo mittendus est. Papa deinde ad sex Articulos, de quibus fuerat consultus, respondet, & inter alia definit; Presbyteros ad Synodum venientes non esse compellendos, ut munera seu Eulogias afferant, ne propterea venire graventur. Ne Sortes in Judiciis adhibeantur, quia aliquod genus divinationis sunt. Episcopos non

to. 8. Conc. p. 30.

c. 3.

c. 4.

Hist. Eccles. Tom. XI. Hh debe-

rostra
re mei,
m jam
r San-
et, di-
est ca-
Hictim
bas, ut
eretur.
elatus,
asterii
ris ve-
um of-
as, di-
ibi mi-
cripit,
Presby-
t. Ec
Defer
& fa-
undum
c aqua
s ejus
& con-
s tres
us est.
ia.
scopis
onvo-
justit.
Cum

Sæcūlum IX. debere sententiam ferre secundum Com-
 A. C. 848. mentarios & libros aliorum Scriptorum,
 c. 6. sed tantum secundum Canones & Papa-
 rum Epistolas Decretales. Tum enume-
 rans Concilia & Pontifices in Codice Ca-

Baron. an. nonum contentos unicum S. Silvestrum
 855. ante Siricium ponit. Unde patet eum
 Collectionis Isidori nullam rationem ha-
 buisse. Cum ista Epistola Papa Duci Ne-

Sup. l. XIII. menoyo corpus S. Marcellini Papæ, qui
 S. 4. v. Tille. jam illa ætate sed ex levi fundamento
 to. 5. p. 613. Martyr credebatur, opera S. Convoyo-
 nis transmissit.

Episcopis Britannia in patriam re-
 versis, Nomenoyus offensus, quod eos
 Papa non deposuisset, eosdem ipse de Se-
 dibus suis dejicere, & simul viam quare-
 re, qua ad Regnum perveniret, confi-
 tuit; quippe civitates, Nannetum, Rhe-
 dones, & regiones Andegavensem atque
 Cenomanensem usque ad Meduanam
 annum in potestatem redegerat. Ergo

Nar. to. 8. quatuor Episcopos Britannia, scilicet
 Conc. in fin. Subfannium Venetiensem, Salaconem
 Et ap. Sirm. S. Maclovii, Felicem Cornubiensem &
 post Capit. Liberatum Vorganiensem cum magna
 Car. Optimatum frequentia convocat, &
 compellit ad abdicandam Dignitatem
 Episcopalem deponendo baculum & an-
 nulum, communia Episcoporum Insignia.
 Imo iis mortem secreto denunciari, nisi
 se reos confiterentur, jussisse fertur. In
 Sedes

Sedes depositorum quatuor alios (*) ordinari præcepit, cumque satis intelligeret, Archiepiscopum Turonensem hos consecrare recusaturum, & ne quidem in Britanniam venturum, ne Regem Carolum offensum haberet, tres novas Sedes Episcopales, antea Monasteria, nempe Dolæ, Brioci & Trecurii erexit, Episcopum Dolensem Metropolitanum esse voluit, & sic Britanniam a Diocesi Turonensi avulsit. Rebus Ecclesiasticis ita compositis ab his septem Episcopis Dolæ suo arbitrio Rex unctus & inauguratus est. Exinde tres novi Episcopatus semper steterunt, & Dola jure & auctoritate Ecclesiæ Metropolitanæ per annos trecentos eminuit.

Sæculum IX.
A. C. 848.

§. XLV.

Papa Romam munit.

Hæc anno circiter octingentesimo quadragesimo octavo agebantur. At eodem anno Pontificatus sui secundo Leo Papa S. Petri Ecclesiam muro cingere cœpit. Totius Civitatis Romanæ nobiles viros rapinas a Saracenis impune

Anast. in
Leon. to. 8.
Conc. p. 17.

H h 2

avectas

(*) Ex Fleurii narratione non satis apparet, a quibus hos alios Episcopos ordinari præceperit, an a depositis vel aliunde accersitis. Sed neque in ipso fonte, scilicet in Actis Benedicti. vit. S. Coyvoionis istud elarius indicatur.

Sæculum IX. auctas impatientissime dolentes & in fu-
A. C. 848. tura tempora pejora metuentes Leo be-
 ne sperare jussit, constituitque propo-
 situm a Leone III. Prædecessore suo con-
 ceptum exequi; ille enim novam civi-
 tatem apud Basilicam S. Petri jactis fun-
 damentis condere aggressus fuerat. Cum
 hac de re Leo IV. Lothario Imperatori
 scripsisset, is consilium optimum lætissi-
 mus approbavit, hortatusque est Papam,
 ut tanto operi manum strenue admove-
 ret, in subsidium tam suo quam Regum
 fratrum suorum nomine non exigua pe-
 cuniæ vi transmissa. Papa accepto Im-
 peratoris responso Romanos ad delibe-
 randum de re tantæ molis convocat. Sta-
 tutum, ut ex omnibus civitatibus Reipub-
 licæ subjectis & ex Monasteriis artifices
 advocarentur, ut per vices maximo ope-
 ri instarent. Quatuor annorum spatio
 ædificium perfectum est, Papa cura con-
 tinua utilissimæ rei invigilante; nam tem-
 pus omne quod ab officiis spiritualibus su-
 pererat, huic negotio dabat, nec frigore
 ventis pluviisque retardari se patiebatur,
 quin ipse inspiceret, an opus satis pro-
 moveretur.

Anast. p. 10. Eodem tempore, scilicet, Indictione
 duodecima, quæ hoc anno octingentesimo
 quadragesimo octavo inibat, Papa ipse
 urbis mœnia vetustate collapsa repara-
 bat. Portas restauravit, & turres quin-
 decim

decim a fundamentis extruxit, sæpissime
 jam equo vectus, jam pedibus, opus in-
 visens. Præter alia tures duas super
 Tiberim prope portam, qua ad portum
 Romanum exitur, eduxit, præparavitque
 catenas, quibus objectis etiam parvæ ho-
 stium naviculæ prohiberi possent. Per-
 multa etiam Sanctorum corpora, quo se-
 curius servarentur, in urbem transtulit.

Anno sequente octingentesimo qua-
 dragesimo nono, Indictione duodecima,
 Saraceni Tozaram in Sardinia appulsi,
 inde solvunt in portum Romanum vela
 facturi. Romanis maxima consternatio-
 ne trepidantibus, Neapolitani, Amal-
 phini & Cajetenses conscensis navibus
 Ostiam devehuntur, unde missis ad Pa-
 pam nunciis significari jubent, ad præ-
 standum celeriter auxilium & adversus
 Saracenos dimicandum se advenisse. Pa-
 pa quo eorum fidem exploraret, rogat,
 ut Legatos Romam mitterent. Tum cun-
 ctorum Dux nomine Cæsarius, Sergii Mi-
 litia Magistri filius, cum paucis sociis Ro-
 mam venit, & quæ per suos nunciaverat,
 coram Pontifice rata esse affirmat. Er-
 go Papa pluribus armatorum cohortibus
 stipatus Ostiam se confert, ut affectus,
 quo Neapolitanos complectebatur, pate-
 ret. Illi Pontificis pedes exosculati ro-
 gant, ut sibi sua manu Sacram Commu-
 nionem præberet, & ad ineundum forti-

Sæculum IX.
 A. C. 849.

p. 12.

Hh 3 ter

Sæculum IX.
A. C. 849.
ter prælium firmaret. Itaque Papa inter publicas supplicationes ad Ecclesiam S. Auræ omnes deducit, ubi genibus flexis Oratione illius temporis adjunctis conveniente super eos pronunciata, & celebrata Missa, eunctos Corpore Domini nostri communit. Altera die, cum Papa inde discessisset, adsunt Saraceni triremibus permultis advecti, quos dum Neapolitani strenue invadunt, superveniens turbo pugnantem dirimit. Saraceni partem plurimam fluctibus obruti. Multi in Insulis, fame jam prope exanimis, interfecti, non nulli ad terrorem e furca prope urbem Portuensem suspensi, non pauci Romam perducti ad diversa opera & imprimis ad extruenda mœnia, quibus Papa Vaticanum cinxit, manus commodare jussi sunt.

§. XLVI.

Rerum in Hispania conspectus.

Sup. lib.
XLIV.

§. 49.
Sebast. Sal-
mant. p. 53.

Sub illa tempora Cordubæ, quæ Musulmannorum in Hispania Metropolis erat, Barbari melioris partis vastissimi Regni Domini Christianos persequuntur. Ceteræ Hispaniarum Provinciis Principibus Christianis parebant. Alphonso Casto, Rege Asturiæ, postquam annis quinquaginta regnasset, anno octingentesimo quadragésimo secundo, Ara octingentesima octogésima, fatis functo

Rami

Ramirus Veremundi filius a populo electus successerat. Is ornatissimam Ecclesiam in honorem Sanctæ Virginis ædificavit duobus millibus ab Oveto positam, & postquam regnasset annis septem, in pace quievit. Ei successit filius Ordogno anno octingentesimo quadragesimo nono, Æra octingentesima octogesima septima, & annis sexdecim Sceptum tenuit. Compluribus civitatibus, unde Alphonsus Musulmannos eiecerat, nempe præter alias Tudensi, Asturigeni, & Legionensi incolas dedit. Alphonso casto imperante S. Jacobi Apostoli Corpus Compostellæ in Gallæcia inventum, & Alphonsus modicam Ecclesiam in illo loco ædificasse fertur. Istud vero constat, quod Sæculo hoc nono Fideles crediderint, ossa S. Jacobi, S. Joannis Germani, Jerosolyma in extremam Hispaniam fuisse translata, & omnibus istarum Reliquiarum maximam fuisse venerationem. Ita hac de re Ufuardus & Ado in suis Martyrologiis.

Sæculum IX.
A. C. 849.

Sampir.
Astor. p. 57.

25. Jul.

Interim ad Pyrenæos montes novum Regnum oriebatur; nam Eneconem seu Ignigonem, cognomento Aristam, Vicecomitem Bigerrensem, anno circiter octingentesimo trigesimo Christiani illius regionis Regem salutarunt, ut contra Musulmannos pugnaret, contra quos nec a Gothis, Alphonsi Casti Subditis,

Marc. hist.
Bearn. l. II.
l. 2. l. III.
c. I.

Hh 4

utpote

Sæculum IX.
A.C. 849. utpote nimis remotis, nec a Francis sub
languenti Ludovici pii imperio præsi-
dium habebant. Ignigone anno octin-
gentesimo trigesimo quinto rebus huma-
nis erepto successit Chimenus filius, &
huic rursus filius suus Ignigo, qui Pam-
pelonam cepit, & anno octingentesimo
quingentesimo in vivis fuisse legitur.
Hæc fuere Regni Navarrae principia. In
alia Hispaniarum parte Catalonia & Ro-
scinorensis Comitatus Francis suberant,
atque Ecclesiæ Barcinonensis, Urgelita-
na, Gerundana, & Elnensis Ecclesiam
Narbonensem Metropolim habebant.

Musulmannis illa tempestate in Hi-
spania imperabat Abderamus hujus no-
minis tertius, qui annis triginta & uno, *licet*
Rodenr. hist. licet ab anno octingentesimo vigesimo pri-
Arab. c. 25. mo, Hegiræ ducentesimo sexto, usque ad
annum ducentessimum trigesimum octa-
vum seu annum Salutis octingentesimum
quingentesimum secundum regnavit.
Anno Regni ejus vigesimo tertio, Salutis
octingentesimo quadagesimo tertio plus
quam centum navium classis Ulissiponen-
laceffivit. Anno sequente alia & ista ni-
mero superior Hispalim obsedit, & postea
Gaditanum portum oppugnavit. Hos
prædones non alios fuisse, credere pronum
est, quam Normannos, quos tandem Ara-
bes magna clade accepta & vix editis
compluribus proeliis depulerunt. An-
no

no octingentesimo quadragesimo septimo
 Abderamus missis in Franciam Legatis
 pacem petiit a Rege Carolo, qui eos Re-
 mis in conspectum admisit. Eodem tem-
 pore omnes Christiani Abderami pote-
 stati subjecti misso ad Regem, ad Episco-
 pos & Fideles Regni Francorum libello
 querelas movebant contra quemdam Bo-
 donem, quod olim Christianus, & aliquot
 abhinc annis Judæus factus, Abderamum
 & Musulmannos sollicitaret contra Chri-
 stianos in Hispania degentes, velletque
 omnes compelli, ut vel ad Judæos vel ad
 Mahometanos deficerent. Hæc res per-
 secutioni futuræ prælusisse videtur. Ce-
 terum permulti Gothi alique Christiani,
 ut se jûgo Infidelium subtraherent, in
 Franciam transiverant, litteris anno octin-
 gentesimo decimo sexto a Carolo Magno
 & Ludovico pio impetratis, quibus eis
 præsidium promittebatur. Rex Carolus
 Calvus, cum Tolosam anno octingente-
 simo quadragesimo quarto obsideret, si-
 miles litteras illis concesserat, qui Barci-
 nonam & ad alia loca propinqua confu-
 gerant, spondebatque eos eodem jure ac
 Francos esse habendos.

Sæculum IX.
 A. C. 849.
 An. Bertin.
 847.

tom. I. Cap.
 p. 499. 569.
 to. 2. Cap. p.
 26. Coint. an.
 844. n. 50.

§. XLVII.

Martyres Cordubenses. S. Perfectus.

Sub initium Regni Abderami duo Fra-
 tres Adolphus & Joannes Martyrium
 passi

Eulog. l. II.
 memor. c. 8.

H h 5

Sæculum IX. passi sunt, quorum Acta Speraindeo Abbas
A. C. 850. Cateclariensis conscripsisse creditur. Ho-

Martyr. R. rum memoriam Ecclesia vigesima septi-
27. Sept. ma Sept. colit. Anno octingentesimo qua-
Moral. ad dragesimo duæ Virgines Christianæ Nu-
c. 7 l. 11. S. nila & Alodia prope Najaram in Navarra
Eulog. mortem pro Christo perpessæ sunt, & post
elapsam biennium earum corpora in Mo-
nasterium S. Salvatoris Leyrense, quod
tunc Legerense dicebatur, translata. Ea-

Martyr. R. rum honori dies vigesima secunda Octo-
22. Oct. bris in Ecclesia dicata est. Sed magna
persecutio anno octingentesimo quinquæ-

Eulog. ibid. gesimo, Æra octingentesima octogesima
c. 1 *Boll.* octava, Regni Abderami vigesimo nono
to. 10. p. 584. incepit. Perfectus Presbyter Cordubæ

natus, Monasterii S. Aciscoli, ubi totam
ferme juvenilem ætatem transegerat,
alumnus, scientia Ecclesiastica apprime
instructus, Musulmannis erat notissimus,
quia linguam Arabicam callebat. Sed
olim coram *Cadi*, seu Musulmannorum
Judice mortis metu turbatus fidem nega-
verat. S. Aciscolum vero, quem modo

Prud. Peri- nominavimus, accepta corona Martirii
steph. hym. 4. cum Sorore sua Victoria Cordubæ sub
Martyr. R. Diocletiano celebrem reddidit; quos Ec-
17. Nov. clesia decima septima Novembris hono-
re prosequitur.

Quadam die cum Perfectus Presby-
ter per urbis plateas rem suam domesti-
cam curaturus procederet, Musulmanni
no

non cogitantem affantur, quæstiones de ^{Sæculum IX.} Religione movent, & percontantur, quid ^{A. C. 850.} de Jesu Christo & Mahomete sentiret.

Jesus Christus, respondit ille, *est Deus* ^{Rom. IX. 5.} *super omnia Benedictus in Sæcula. De Prophetâ autem vestro quid Christiani sentiant non audeo vobis dicere, ne vos acriter offensos habeam. Si vero fidem datis, vos iram cobibituros, dicam. Illis spondentibus, ipse lingua Arabica adjecit: Credimus, Mahometem falsorum Prophetarum e numero esse, de quibus Evangelium prædixit; seducent plurimos, & in ignem æternum præcipitabunt. Addidit plura alia, quibus nefariam lasciviam in Secta Mahometis approbatam arguebat.*

Illi tunc quidem dissimularunt, haud diu vero post iidem Musulmanni conspicientes S. Perfectum ad curandam rem familiarem domo sua egredientem dixerunt adstantibus: *En virum, qui nuper Prophetæ, a Deo benedicto, anathema pro-* ^{S. Perfecti} *nunciavit, oneravitque blasphemis, quas* ^{Confessio.} *æquis auribus audire non potestis! Tunc vero venientem comprehendunt, tam velociter abstrahunt, ut pedes ejus vix terram contingerent, & Judici sistunt, clamantes: Homo iste maledixit Prophetæ nostro, & in eos, qui Mahometem colunt, convicia ingerit. Non ignoras, quæ pæna deceat tantum nefas. Cadi* ^{Perfectum}

ctum

Sæculum IX. factum carceri tradi jubet vinculis ferreis
 A C. 850. onustum, in Festo, quod Musulmannis
 Bib. Orient. pro Pascha est, interfecturus. Sanctus
 p. 78. 198. autem Confessor in carcere vigiliis, jeju-
 niis & orationi incumbens, ut in Sancta

ibid. p. 419. fide, quam aliquando coram mundo ne-
 gaverat, confirmaretur, in spiritu Prophe-
 tiæ prædixit, *Nazar Hageb* seu Cubicula-
 riis Præfectum, Spadonem, quem Sulta-
 nus Purpuratorum principem & in ne-
 gotiis ad Hispanias spectantibus Mini-
 strum habebat, præcoci fato ex vivis mi-
 graturum. S. Perfectus de eo loquens,
 ait: *vir iste hodie potentissimus, postquam*
me interfecerit, usque ad finem anni hujus
non supererit.

Postquam S. Perfectus aliquot men-
 sibus in carcere fuisset detentus, & jeju-
 nio solemnibus mensis *Ramadan* a Musul-
 mannis celebrato advenisset Festum pri-
 mæ diei mensis *Chaoval*, quod inter ma-
 ximæ lætitiæ signa agere solebant, Mar-
 tyr e carcere emissus trans Betim flu-
 vium in latissima prata, qua Civitas Cor-
 dubensis meridiem spectat, raptatur ulti-
 mo supplicio afficiendus. Accurrit tur-
 matim ad spectaculum populus, & ipse
 iterato Mahometi & Sectatoribus ejus
 Anathema dicens capite plectitur die
 Veneris decima octava Aprilis anno
 octingentesimo quinquagesimo, qua die
 Ecclesia ipsius memoriam colit. *Nazar*
 Evnu.

Mart. Rom.
 18. Apr.

Evnuchus e vivis raptus, priusquam an-
 nus ille totus effluxisset, sua morte testa-
 tum fecit, Sanctum Martyrem vera di-
 xisse.

Sæculum IX.
 A. C. 850.

Sub idem tempus quidam mercator
 nomine Joannes accusatur, quod Maho-
 meti maledixisset, eosque, qui emptionis
 causa ad ipsum venissent, ad abjiciendam
 infamem Sectam sollicitasset. *Cadi*, seu
 Judex, hunc virum non quidem omnino
 blasphemiam convictum credidit, & mor-
 te dignum, attamen crudelem in modum
 cædi jussit, ut cogeretur Jesu Christo re-
 nunciare. Verum Joannes, quæ sibi ob-
 jiciebantur ultro confessus, edixit, se JE-
 su Christi Crucifixi in ultimis esse inhæ-
 surum. Prætor plusquam quingentis pla-
 gis concisum, semivivum asino imponi &
 versa ad caudam facie per urbem jubet
 circumduci præcone clamante: *Ita pu-
 niuntur, qui Prophetam blasphemant, &
 Religionem contemnunt.* Rursus deinde
 in carcerem mittitur, ubi eum S. Eulo-
 gius, hujus historiæ Scriptor, socium ha-
 buit, cum & ipse eodem detrusus est. Hi
 duo viri Perfectus & Joannes, primitiæ
 Martyrum in illa persecutione, ceteros
 ad imitandum nobile exemplum excita-
 runt.

Eulog. mem.
lib. 8.

Sæculum IX.
A. C. 850.

§. XLVIII.

Normanni Franciam depopulantur.

Chr. Norm. Interim Normanni Franciam depopulari non cessabant. Jam anno octingentesimo quadragesimo sexto facta in Frisiam irruptione Ecclesias destruxerant, & inermem populum ad eas confugientem trucidaverant. Quod ubi ad aures Episcoporum, Abbatum Flandriæ, & vicinarum regionum fama detulisset, Reliquias suas in Monasterium S. Audomari firmis muris turribusque munitum deportarunt. Erant vero Reliquiæ S. Bavonis, S. Wandrilli, S. Ansberti, S. Wulframi, S. Piaſti, S. Winoci, S. Austreberti & duorum Monachorum ignoti nominis. Ceterum quorundam Sanctorum corpora illo translata, ibi postea per annos quadraginta custodita fuere. Anno
Ann. Fuld. sequente octingentesimo quadragesimo
847. Bert. septimo Dorſtatum in Frisia incendiis,
847. 848. & Insulam Bataviam seu *Betau* occupant. In Aquitaniam adveſti Burdegalam ingenti labore diu obsessam tandem anno octingentesimo quadragesimo octavo, Judæis patriam prodentibus, expugnant, diripiunt & igne vastant. Sors eadem Metulliacum hodie *Melle* in territorio Picaviensi afflixit.

Ann. Bert. Anno octingentesimo quinquagesimo
850. Normanni Duce Rorico iterum Frisiam, Bata-

Bataviam & Rheni Vahalisque ripas rapinis exhauriunt. Gandavum veniunt, Sanctique Bavonis Monasterium injectis ignibus cremant. Lotharius Imperator, cum Piratarum vim repellere non posset, Roricum Vasallum recepit, eique Dorstatum & alios Comitatus concessit. Interim aliæ Normannorum cohortes Menapios, Tarvisinos aliosque populos maritimos spoliant; at rursus alii ejusdem nationis prædones, cum Angliam invadunt, repelluntur. Godefrido autem uni ex eorum Ducibus, postquam adversa Sequana in vectus usque Bellovacum pervenisset & urbem diripuisset, Carolus Rex pactis fœderibus eodem anno octingentesimo quinquagesimo agros colendos concessit.

§. XLIX.

Gotteschalculus fustibus cæsus & Carceri datus.

Inter hæc in Gotteschalculum Monachum, to. 8. Con. p. 55. qui Hincmari curæ commissus fuerat, Cadurci ad Oesiam anno octingentesimo quadragesimo nono tredecim Hincm. de præd. c. 2. Episcopi, jubente Rege Carolo ad negotia Reipublicæ tractanda congregati, sententiam pronuntiarunt. Notissimi Episcoporum fuisse Venilo Archiepiscopus Senonensis, & Hincmarus Remensis, Rotadus Episcopus Sueffionensis, Lupus Catalaunensis, Pardulus

Sæculum IX.

A. C. 850.

Chr. Norm.

Sæculum IX. A. C. 850. dulus Laodunensis. Adfuerunt etiam duo
 Chorepiscopi, quorum alter erat Rigboldus Remensis, tres Abbates nempe Robertus Corbejensis, Bavo Orbacensis & Halduinus Altvillarensis. Ergo in illo

Ann. Bert. 849. conventu Gotteschalci ejusque causæ instituto examine, Hæreticus & contumax judicatur, & deponitur Sacerdotali gradu, quem contra Canones a manibus Rigboldi Chorepiscopi Remensis Episcopo suo Rotado Sueffionensi hujus rei incipio acceperat. Præterea ut insolentia & obstinatio hominis puniretur, secundum Canones Concilii Agathensis & Regulam S. Benedicti, ut ferebat sententia, virgis cædendus erat & carceri mandandus, quod in causas civiles & Ecclesiasticas temere se ingessisset. Prohibitum est docere amplius, perpetuum indictum silentium, & sententia districtim executioni mandata; nam publice inspectante Rege Carolo duris verberibus castigatus Scripta sua flammis tradere coactus, & in Abbatia Altvillarensi Diocesis Remensis inclusus est, quia Hinemarus Rotadi Episcopi ipsius fidem suspectam habebat.

§. L.

Scripta pro & contra Gotteschalcum.

Gotteschalcus ne quidem in carcere calamum

iamum valere iussit, sed scripsit ge-
 minam Fidei Confessionem, breviorē Sæculum IX.
A. C. 850.
 unam, alteram prolixam, utramque vero ap. Uffer.
p. 211.
 in eundem sensum. *Credo, inquit in
 priore Confessione, quod Deus Electos
 ad vitam æternam gratuito elegerit, &
 justo suo iudicio Reprobos ad mortem (*)
 æternam prædestinaverit, quia Præscien-
 tiam certissimam eorum peccatorum ha-
 buit. Nam ipse Dominus dicit: Prin-
 ceps huius Mundi jam iudicatus est. Quod
 S. Augustinus ita explicat: id est, quod
 irrevocabiliter ad ignem æternum desti-
 natus sit. Item dicit Dominus: qui au-
 tem non credit, jam iudicatus est. Id est,
 inquit S. Augustinus, peractum est iudi-
 cium etsi necdum apparuerit. (**)* Post-
 quam

(*) Si Deus ideo Reprobos prædestinavit ad
 mortem æternam, quia eorum demerita infalli-
 liter prævidit, jam non est proprie prædestinatio,
 cum demeritorum cognitionem non præcedat,
 sed sequatur. Et saltem ejusdem rationis præ-
 destinatio non est, ac illa Electorum ad vitam,
 quæ prævisionem meritorum præcedit. Atta-
 men, nec in isto sensu Gottschalci Deus Re-
 probos prædestinat ad mortem æternam, quia
 dicit, per os Ezechielis Prophetæ c. 33. v. II.
*Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius
 a via sua, & vivat.*

(**) Hic novum habemus illius rei exem-
 plum; omnes semper Hæreticos ad propugnand-

Sæculum IX.
A. C. 850.

Sup. lib.
XXXI.
§. 56.

p. 225.

p. 232.

Gotteschal-
cus.

quam complures alios Textus ex S. Augustino attulit, citat etiam S. Gregorium, S. Fulgentium præsertim Librum ad Monimum, & S. Isidorum.

Altera Gotteschalci Confessio in modum orationis ad Deum dirigitur. Fundatur in Dei immutabilitate, cujus effectus est Decretorum ejus æternitas. Dicit, Prædestinationem esse in se ipsa unam, quamvis in suis effectibus duplex sit, sicut S. Augustinus dicit, duplicem esse Charitatem erga Deum & erga hominem. Dicit etiam se percipere, ut ad Doctrinam illorum, qui quæstionem hanc non satis capiunt, sibi liceret, quod verum credit in aliquo Conventu coram multitudine populi

dos errores suos Auctoritatem S. Scripturæ frustra obtendisse. Cum enim Auctoritate Ecclesiæ essent destituti, facile convincebantur, quod genuinum S. Scripturæ sensum non assequerentur. Hinc etiam Protestantes, ut ut semper Scripturam crepent, & ad confirmandam suam Doctrinam Textus Textibus accumularent, nihil tamen probant, quia vel nullius Ecclesiæ Auctoritatem adducunt, sicut Interpres Fleurii & D. Mosheim, vel si, nescio quam, Christi Ecclesiam jactent, quam ipsorum opiniones docuisse dicunt, illam tamen nec nominare possunt, nec indicare, quo tempore & quo loco, a Romana Ecclesia distincta, extiterit. Imo D. Mosheim in suis Prolegom. ad Hist. Hæret. admittit, Ecclesiam errare posse,

populi Fidelis, Rege, Episcopis, Presbyteris, Monachis & Canonicis praesentibus publice defendere. Petit sibi dari licentiam, per probationem ignis suam Doctrinam demonstrandi; quippe paratum se continuo in quatuor dolia aqua fervente, oleo & pice plena & tandem in ignem maximum ingredi, (*) ea conditione, ut si salvus & incolumis exiret, veritatem ipsius Doctrinae omnes confiterentur, si autem ipse ardorem experi-ri non auderet, aut usque in finem non sustineret, flammis perire cogeretur.

Saeculum IX.
A. C. 850.

Flod. III.
c. 21.

Hincmarus vero data ad Prudentium Episcopum Trecensem epistola eum consuluit,

I i 2

fuluit,

posse. Quomodo autem ejusmodi Protestans certus esse potest, quod veram Fidem teneat? Duobus modis Deus Fidei veritatem revelat, vel immediate sicut Apostolis & S. Paulo, vel mediate, nempe ope S. Scripturae & Ecclesiae. Jam vero Revelationem immediatam non dicit se accepisse D. Mosheim; sed nec mediate Fidem discere potuit ab Ecclesia, quam credit errare posse. Nihil ergo superest, quam S. Scriptura. Sed, quae! si fatente D. Mosheim tota Ecclesia in exponenda S. Scriptura fallere & falli potest, quanto magis ipsa solus? Quid sequitur, nisi omnibus Christianis, si Auctoritatem Romano-Catholicae Ecclesiae rejiciant, nullam esse infallibilem Fidei Regulam?

(*) Ex his satis liquet, Monachum fuisse fanaticum.

Sæculum IX.
A. C. 850.

*ep. Rab. ad
Hincm.*

*Mang. diff.
c. 13.*

fuluit, quo potissimum modo Gotteschalci pertinaciam expugnare deberet. Docet, quæ in Concilio acta fuerint, & omnia remedia, quæ ad eum convertendum adhibuerit. Quærit, an eundem ad officium in Cœna Domini vel in Festo Paschæ admittere, aut etiam Sacram Communionem ei præbere expediat. Præterea Hincmarus datis ad Monachos Reclusos suæ Diœcesis litteris admonuit, ne Gotteschalci erroribus (videbat enim complures a veneno sibi non satis cavere) seduci & perverti se sinerent.

Inter illos, qui Gotteschalco favebant, fuit Ratramus Monachus Corbejenfis. Is data ad Gotteschalcum amicum suum epistola Hincmari litteras liberrima censura perstringebat. Nam Ratrami epistola a custodibus Gotteschalci excepta ad manus Hincmari delata est. At Prudentius quoque Episcopus Trecentis collectis ex Sacra Scriptura & Patribus, maxime vero ex S. Augustino locis duplicis Prædestinationis veritatem probare conabatur. In eo Scripto etiam de libero arbitrio & de Jesu Christo pro omnibus mortuo agebat, quod ad Hincmarum & Pardulum Laodunensem consentientibus Patribus Concilii Parisiis ineunte autumno anno 849. celebrati transmissit. Prudentius eidem Scripto præfixerat epistolam in qua dicit: *Cupiebam tecum amice collo-*

colloqui præsertim de quæstionibus nunc Sæculum IX.
A. C. 850.
agitatis, sed cum id mihi permissum non
fuerit, compulsus sum tibi scribere, ut te
rogarem, ne Auctoritatem S. Augustini
te vivo lædi patiaris. Prolixe deinde
probat, in quanto pretio hæc Auctoritas
in Ecclesia habeatur.

§. LI.

Epistola Synodica ad Nomenoyum.

Concilium Parisiense, (*) cujus hic men- Chro. Fon-
tan. Duch.
to. 2. p. 388.
to. 8. Conc.
p. 58.
tio facta, ex quatuor Provinciis Tu-
ronensi, Senonensi, Remensi & Rothoma-
geni congregatum erat. Venerant Epi-
scopi viginti duo, inter quos celeberrimi
adnotantur, Landranus Archiepiscopus
Turonensis hujus nominis secundus,
Successor Ursmari, qui priori Landrano
successerat, Venilo Archiepiscopus Seno-
nensis, Prudentius Episcopus Trecensis,
Agius Aurelianensis, Erchanradus Pari-
siensis, Hincmarus Archiepiscopus Re-
mensis, Pardulus Episcopus Laodunensis,
Rotadus Sueffionensis, Paulus Archiepi-
scopus Rothmagenis, & Freulfus Epi-
scopus Lexoviensis. Hi Episcopi Nome-
noyo, qui se Regem Britanniaë dicebat,
epistolam scripserunt in hunc modum:

Ii 3

Quam-

(*) In Aët. Conc. præponuntur hæc verba:
*Concilium Parisiense quod hætenus dictum est a
Baronio, Binio, Sirmondo & aliis Turonen-
se IV.*

Sæculum IX.

A. C. 850.

Quamquam Christiani nomen geras, Christianorum tamen agri tua cupiditate vastati, Ecclesiæ aliæ destructæ, aliæ unicum Sacris ossibus concremata. Ecclesiarum Bona, quæ patrimonium pauperum sunt, illicite in tuos usus redacta, rapina, adulteria, corruptiones Virginum passim commissæ, Episcopi legitimi Sedibus propriis expulsi, & ut mitius loquamur, quia dicere nolumus fures & latrones, mercenarii introducti. Patroni nostri Beati Martini Diæcesis, ex qua vos esse negare non potestis, violata. Tandem ad cumulum malorum auxisti temeritatem, dum Vicarium Beati Petri Apostolicum, cui dedit Deus Primatum in omni orbe terrarum, sprevisi. Cum enim ab eo postulasses, ut libro suo te insereret, & pro te Dei Clementiam exoraret, atque ille datis ad te litteris se id facturum promississet, si ipsius monitis morem gereveres, non solum nihil eorum, quæ mandaverat, fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti. Illud etiam deinde exprobrant, quod Lamberto Comiti Nannetensi in Regem Carolum rebellem faveret, & quod certos fines ab exordio Dominationis suæ a Francis inter se & Britones positos transgressus fuisset. Tandem principem hortantur ad pœnitentiam, Dei Judicium timere jubent, & nisi convertatur præmaturam mortem comminantur.

Hæc

Hæc epistola a Lupo Ferrariensi com-
posita; inter illius enim Scripta occur-
rit. Is deinde Bituricas se contulit ad
Regem Carolum, qui in illam Civitatem
mense Decembri anno octingentesimo
quadragesimo nono venerat. Pronum
est credere, eum Regi rationem de omni-
bus, quæ in Concilio acta fuerant, red-
didisse, cum Rex ex eo quæsiverit, quam
Doctrinam de Prædestinatione, de Libe-
ro Arbitrio, & Jesu Christi Redemptio-
ne ipse teneret. Lupus Regi breviter
explicavit, quid circa has Quæstiones ex
Sacra Scriptura & SS. Patribus didicisset.
At intelligens, quod suspecta esset sua
doctrina, de tribus his quæstionibus com-
posuit Tractatum, quem aliqui alteri Lu-
po Presbytero Moguntino tribuendum
putant; sed longe verisimilius ex cala-
mo Lupi Ferrariensis fluxit. Item data
ad Regem Carolum epistola eandem ma-
teriam per compendium tractavit. Tan-
dem etiam Collectionem textuum ex SS.
Patribus de his tribus quæstionibus edi-
dit.

Mense Martio exeunte anno octingen-
tesimo quinquagesimo Hincmarus datis
ad Rabanum litteris, quæcunque in cau-
sa Gotteschalci acta fuerant, retulit, ei-
que Gotteschalci Confessionem Fidei ma-
jorem cum epistola, quam ipse Hincma-
rus ad Reclusos dederat, epistolam Ra-

Sæculum IX.

A. C. 850.

ep. 84.

Chro. Fon-
tan.

ep. 128.

ep. 129.

Rabanus ad

Hincmarum.

Sæculum IX.
A. C. 850.

trami, atque Opus Prudentii misit. Rabanus excusavit, quod senectute & corporis infirmitatibus affectus, ad hæc Scripta calamo respondere non posset, sed tamen, ut Fidem suam de quæstione Prædestinationis profiteretur, Hincmaro misit duos Tractatus olim a se conscriptos, atque ad Nothingum & ad Eberardum directos. Nihilominus etiam in hac ipsa ad Hincmarum Responsoria satis prolixè de eadem materia agit, & hortatur, ut Gotteschalcum ita coerceat, ut nemini amplius vel loqui, vel scribere possit, addens, nolle se suadere, ut ei Communio præbeatur.

Sup. §. 41.

Eodem anno Ratramus Monachus Corbejensis duos libros de Prædestinatione scripsit, ut morem gereret Regi Carolo, qui sibi provinciam demandaverat colligendi Textus Patrum, & eorum Auctoritate suam opinionem muniendi. In iis distinctionem duplicis Prædestinationis Electorum & Reproborum asserit, & in fine rogat Regem, ne hujus Scripti oblivisceretur, usque dum ista quæstione ad examen vocata definitum fuerit, quid Fideles credere teneantur. Rex hos duos Ratrami Libros, & Tractatus Lupi Ferrariensis Hincmaro examinandos tradidit.

Maug. to. 1.
p. 29.

§. II.

Sæculum IX.

A C. 850.

Lupi Ferrariensis Monita Regi Carolo data.

Rex Carolus Lupi prudentiam maximi
faciebat, ut ex epistolis ejusdem Lu- *Lup. ep. 64.*
pi tribus ad Regem ingenue & constan-
ter scriptis dispicimus. *Omnia illa solli-
cite conjeci in compendium, inquit in sua
prima epistola, quæ tibi servanda sunt, si
beate & tranquille regnare cupis. Sin-
gulis diebus Deo, Creatori tuo, & Judi-
ci futuro, Gratias age, & ab eo initium,
profectum & perseverantiam in bonis ope-
ribus assidue postula. Nunc enim, cum ad
vivilem ætatem perveneris, cogitationes
pueriles & oblectamenta juventutis dimit-
tenda sunt, & illa serio agenda, quæ Rei-
publicæ profint, tibi que in hac & in futu-
ra vita salutem afferant.* Carolus anno
circiter octingentesimo vigesimo tertio
lucem primo aspexerat; ergo hanc epi-
stolam anno circiter octingentesimo qua-
dragesimo octavo datam fuisse necesse est,
cum annum ætatis vigesimum quintum
ageret. Præterea Lupus in eadem epi-
stola Regem hortatur, ut prudentum
virorum consilia quidem exquirat, sed
alieno arbitrio duci se non patiat. Ar-
canum nullius auribus committeret, quod
semel statuisset, constanter exequeretur,
impiorum societatem fugeret, homines,
li s quos

Sæculum IX. quos ipse evexisset, nunquam timeret, &
A. C. 850 nihil supra Salutem Reipublicæ amaret.
 Ex hac epistola dispicimus, Lupum non
 ignorasse vitia Caroli Regis, nempe Prin-
 cipis tota vita sua levis & imbecillis.

ep. 93.

In alia Epistola, postquam Lupus ea-
 dem propemodum monita repetiit, osten-
 dit Regi, quam res sit necessaria, ut ma-
 ture, priusquam agat, deliberet, & Con-
 siliarios probos deligat. In fine addit:
*Mitto Majestati tuæ Historiam Impera-
 torum in compendium coactam, unde faci-
 le perspicias, quid imitandum, quid devi-
 tandum tibi sit. Sed rogo, ut Trajani &
 Theodosii vitas singulari attentione legat.*
 Epistolæ tertiæ initium est hujusmodi:
*Cum ultimo a conspectu Majestatis tuæ re-
 cederem, jussus sum tibi mittere libellum,
 quo ad pietatem excitari possis. Mitto
 igitur Sermonem S. Augustini, in quo
 omnes Christianos a consuetudine jurandi
 abstrahere conatur, ostendens, quam horri-
 bile peccatum sit perjurium. Credo hunc
 Tractatum tibi fore perutilem, si forsan
 in Proceribus jurandi consuetudinem re-
 primas, & econtra persuadeas, ne fidem
 legitime juratam unquam lædant. Dico
 enim, non adulandi causa, quod, quicum-
 que fidem tibi juramento promissam etiam
 secreto violet, animam suam gravi pecco-
 to perimat.*

§. LIII.

*Concilium Ticinense.*Sæculum IX.
A. C. 850.

Sub finem hujus anni octingentesimi
 quinquagesimi, Indictione quarta de-
 cima, Concilium Ticini (*) celebratum,
 cui Angilberdus Archiepiscopus Medio-
 lanensis cum Theodemaro Patriarcha
 Aquilejensi præfuit.

to. 8. p. 61.

Canones viginti quinque conditi, in
 quibus memoratu digna mihi visa sunt
 sequentia. Episcopus in suo cubiculo ad
 obsequia familiaria & secreta adhibeat
 optimæ famæ Presbyteros & Clericos,
 qui eum videant assidue vigilare, orare,
 Sacram Scripturam legere, qui ejusdem
 vitæ testes sint & imitatores. Episco-
 pus non solum diebus Dominicis & præ-
 cipuis

c. 1.

c. 2.

(*) Advertendum, quod hoc Concilium dica-
 tur Synodus *Regia Ticina*, de qua Henricus Ca-
 ninius in Ant. Lect. in præfat. ad Lectorem inter
 alia dicit: *Ego de hac Synodo Regiaticina non
 habeo, quæ adferam. Reciensem pagum, in quo
 Carolus & Ludovicus, Ludovici filii, paternum
 regnum anno 876. diviserunt, non ausim hic tra-
 here. Tum etiam, quibus rationibus annum
 Christi 850. indictione 14. & Lotharii & Ludo-
 vici trigesimum primum conciliemus?* Dein-
 de suam Observationem Basnagius his verbis in-
 cipit: *Canisi difficultatem solvit. Velferus in
 Epistola, quam etiam P. Labbe inseruit Concilio-
 rum editioni.*

Sæculum IX. A. C. 850. cipuis Festis Missam celebret, sed singulis diebus, si fieri possit, atque pro se ipso, pro aliis Episcopis, pro Regibus, pro tota Ecclesia & imprimis pro pauperibus oret. Vocabulo *frequentare*, quod ego vocabulo *celebrer* reddidi, forsitan non præcipitur, ut Episcopus quotidie Missam celebret, sed tantum ut simpliciter intersit. (*) Item in Concilio præcipitur, ut convivium Episcopi sit frugale, & non ibi exhibeantur spectacula risum moventia. Non veniant Sycophantæ & histriones, sed accumbant peregrini & pauperes, legatur Sacra Scriptura, sermones de rebus piis & sanctis conferantur. Episcopus non gaudeat avibus, non canibus, non equis, non amet pretiosum vestrum cultum, nec omne, quod fastum redollet. Sit simplex & verax in eloquio.

e. 5. Sacras Scripturas jugi meditatione discutiatur, ut inde Presbyteris ac Clericis suis occultos litterarum thesauros aperiat, populis vero juxta ipsorum capacitatem verbum prædicationis impendat.

e. 13. Parochiarum duo genera distinguebantur, minores Tituli, qui simplicibus Pres-

(*) Nempe, ipsa Concilii verba sunt: *Statuimus, ut non tantum Dominicis diebus & præcipuis Festivitatibus Episcopi Missas celebrent; sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent.*

Presbyteris comittebantur, & Plebes seu
 Ecclesiae Baptismales, quibus Archipres-
 byteri praerant, quorum erat praeter so-
 licitudinem Parochiarum suarum etiam
 illorum Presbyterorum, qui per minores
 Titulos habitabant, curam gerere, &
 cuncta referre ad Episcopum, qui per se
 ipsum Ecclesiam Matricem seu Cathedra-
 lem regebat. Concilium praecipit, ut
 Archipresbyteri unumquemque Patrem-
 familias conveniant, curentque, ut tam
 ipsi quam omnes, qui in eorum domibus
 commorantur, qui publice crimina per-
 petrarunt, publice poeniteant. Qui ve-
 ro occulte deliquerunt, illis confiteantur,
 quos Episcopi vel Archipresbyteri ad id
 muneris elegerint. Si Confessarii in ali-
 quo dubitaverint, exquirant sui Episcopi
 sententiam; Episcopus vero dubitans
 Collegas suos consulat. Oportet etiam
 per oppida singula villasque curam gere-
 re Presbyteros, quomodo Poenitentes
 praescriptum sibi abstinentiae modum ob-
 servent, utrum eleemosynam largiantur,
 utrum piis operibus vacent, & quanta
 sit cordis contritio, ut poenitentiae tem-
 pus vel extendatur vel aliquid detraha-
 tur. Reconciliatio vero poenitentium
 juxta antiquorum Canonum instituta non
 a Presbyteris, sed ab Episcopis fieri debet;
 nisi poenitens periclitetur, aut Episcopus
 absens sit. Qui poenitentiam publicam
 agunt,

Saeculum IX.
 A. C. 850.

c. 7.

Sæculum IX. agunt, armati non incedant, non causas
A.C. 850. litigantium judicent, nec ullo alio mu-
 nere publico fungantur. Conventus
 collatantium non accedant, nec inuisant
 amicos. Rem tamen domesticam cura-
 re possunt, nisi forte criminum suorum
 enormitatem usque adeo exhorreant, ut
 quidquam aliud curare non possint, prout
 ipsum loquitur Concilium.

Qui perpetratis publice criminibus
 pœnitentiam subire nolunt, tanquam
 membra noxia ab Ecclesiæ corpore refe-
 centur, & anathematizentur. Attamen
 ad extrema remedia non procedat Epi-
 scopus, nisi prius nullam aliam viam in-
 tentatam reliquerit, & consilium sui Me-
 tropolitæ & suæ Provinciæ Episcoporum
 exquisierit. Excommunicatio autem
 simplex statim post scelus publice com-
 missum pronuncietur, ut rei ad agendam
 pœnitentiam cogantur. Eam vero Epi-
 scopus, in cuius Diœcesi peccatum fuit,
 injungat ad devitandam fraudem illo-
 rum, qui prædia in diversis Diœcesibus
 possidentes, Episcopo sibi pœnitentiam
 injungere volenti dicebant, eam sibi ab
 altero prius fuisse injunctam. Scribet
 igitur, qui eum Communionem privave-
 rit, aliis quoque Episcopis, in quorum
 territoriis hujusmodi prædia possidet, ut
 quid actum sit sciant. Qui publicæ pœ-
 nitentiæ mancipatus est, extremam Un-
 ctionem

c. II.

Canones
 Concilii Ti-
 cinensis.

s. 8.

tionem non recipiat, nec alia Sacramen- Sæculum IX.
ta, nisi prius Reconciliationem receperit. A. C. 850.

Nullus pœnitens, necdum expleto pœ-
nitentiæ tempore conjugium contrahere
valeat. Si Patre aut Matre connivente
corrupta fuerit filia, ea conjugio copu-
lari non possit, priusquam tam parentes
quam filia per publicam pœnitentiam Re-
conciliationem obtinere meruerint. Nul-
la ratione Clerici aut Sacerdotes toleran-
di sunt, qui sub nullius Episcopi Discipli-
na gubernantur. Docendi sunt igitur sæ-
culares viri, ut si in domibus suis Divina
Mysteria jugiter celebrari velint, quod
valde laudabile est, non Acephalorum,
sed illorum Presbyterorum utantur ope-
ra, qui ab Episcopis examinati fuerint, &
cum peregrinantur, litteras suorum Epi-
scoporum, a quibus Ordines acceperint,
commendatitias exhibuerint. Diligen-
tissime examinandæ sunt mulieres, quæ
illicitum amorem aliorum mentibus, aliis
vero odium magica arte immittere, aut
etiam, nefas! viros perimere dicuntur,
& populi rumore deferuntur. Si reæ
sint, hujusmodi Diaboli ministræ ad acer-
rimam pœnitentiam compellantur, & si
digna pœnitentiæ opera fecerint, tandem
in articulo mortis reconcilientur.

Præter hos Canones Ecclesiasticos *to. 8. Conc. p.*
Ludovicus Imperator huic Concilio seu *70. to. 2. Ca-*
Comitiis Ticinensibus præsens Capitu- *pit. p. 345.*
lare

Sæculum IX.

A. C. 850.

c. 9.

c. 18.

c. 25.

Sæculum IX. A. C. 850. lare edidit ad causas sæculares spectans, quod deinde ab Imperatore Lothario parente ejus confirmatum.

In primo articulo consulitur saluti peregrinantium, Romam pergentium, aliorumque hominum iter facientium. Unde dispicimus, frequentissima fuisse latrocinia. Deinde etiam querelæ leguntur, contra Præfules æque ac viros potentes sæculares, quod, ad Regiam iter facientes, hospites ad quos divertebant, variis exactionibus vexarent.

c. 4.

Ann. Bert. Leone Papa, jubente ipsius Parente, qui eum Romam miserat, coronatus est Imperator. Anno postea octingentesimo

850.

Chron. Cass. lib. I. c. 29. quinquagesimo primo juvenem Imperatorem Basacius Abbas Cassinensis nomine Longobardorum rogavit, ut eos a Saracenorum incurſibus liberaret. Cum ergo Ludovicus Beneventum venisset, ubi eum Radalgisus excepit, ei Saraceni traduntur, quos ad unum omnes cum *Massar* ipsorum Duce nona Maji in Vigilia Pentecostes extra civitatem jugulari jussit.

§. LIV.

Martyres Cordubenses. Isaac.

Eulog. mem. lib. II. c. I. Interim persequendi Christianos Cordubæ non erat finis. S. Perfecti, fortiter Martyrium sustinentis, exemplo excitati

citati quidam Monachi, ex eremo pro-
dierunt, & publice falsum Prophetam
probris persecuti sunt; qua re Musulman-
ni pavidi & seditionem pertimescentes
etiam rogare cœperunt Christianos, ut
se continerent. Ingens enim erat Chri-
stianorum multitudo, quod dispicimus
ex magno numero Ecclesiarum & Mona-
steriorum, de quibus in Historia hujus
persecutionis mentio fit. In hanc vero
historiam nulla erroris suspicio cadere
potest, cum scripta sit illo ipso tempore,
quo res gestæ sunt, a S. Eulogio Presby-
tero teste præsentate, qui in eadem perse-
cutione Martyrii coronam adeptus est.
Hic ergo cognoscere datur, quanam con-
ditio Christianorum in Hispania sub Ma-
hometanorum imperio fuerit. Duæ nem-
pe erant nationes prorsus distinctæ, sicut
hodie Græci & Turcæ, Christianis mo-
res suos, linguam nempe latinam corrup-
tam, & nomina sua tum Gothica tum
Romana conservantibus.

Monachorum primus, in hac perse-
cutione Martyrii palmam consecutus,
fuit Isaac. Is Cordubæ parentibus no-
bilibus & opulentis natus, cum linguæ
Arabicæ esset gnarus Tabularii publici
munus obibat in primo juventutis flore.
Ecce autem, subito mente mutata abdi-
cato officio vitam Monasticam in Asce-
terio Tabennensi septem miliaribus a
Hist. Eccles. Tom. XI, *Kk* *Cor-*

Sæculum IX.
A.C. 851.

Sæculum IX. Cordubensi Civitate distante amplexus
A. C. 851. est; quod Monasterium in densissima sil-
 va inter montes admodum asperos gemi-
 num scilicet virorum & fæminarum con-
 ditum fuerat a Jeremia Isaaci cognato
 viro prædivite, quo se cum uxore Elisa-
 betha, liberis, & tota ferme familia re-
 ceperat. Ceterum Martinus Elisabethæ
 frater Abbas erat, sub cujus Disciplina
 Isaac ibi tribus annis permanfit.

*Lib. I. memo-
 Præf.*

His annis exactis Cordubam venit,
 & in foro publico Mahometanorum Ca-
 di seu Judicem affatus ait: cuperem ve-
 stram Religionem amplecti, si eam me
 docere velles. Dixit Prætor, illud im-
 primis credendum esse, quod Mahomet
 docuisset revelante Angelo Gabriele ac-
 ceptum, cœpitque Doctrinam suam ex-
 plicare. *Mentitus est Mahomet, repositus*
Isaac, lingua Arabica usus, Pseudoprophe-
ta Deo execrabilis, quod tot animas fide
deceptas ad pœnas inferni deduxerit. Vos
vero, qui ceteris sapientiores videmini,
cur non ex his tenebris emergere, & in
lucem Christianæ Religionis prodire desi-
deratis? Plura ejusmodi ingerentem Ju-
 dex subita ira abreptus cædit in faciem,
 sed Consiliariis, qui adstabant, monen-
 tibus, id Judicis gravitatem dedecere,
 & Mahometis lege præcipi, ut mortis rei
 liberaliter haberentur, ad Isaacum con-
 versus dixit: *Forsan te ingurgitasti vi-*

no, & cerebrum turbasti, aut certe phre- Sæculum IX,
A. C. 851.
nesci laboras, & nescis, quid agas? Isaac
 respondit: *Nec vinum me turbat, nec
 morbus, sed moveor zelo Justitiæ & veri-
 tatis, cujus amore, si necesse sit, libenter
 mortem subibo.*

His dictis in carcerem a Præatore mit-
 titur, qui cum rem detulisset ad Regem,
 Isaac ad pœnam capitis damnatur, quod
 verbis contumeliosis in Sanctum Prophe-
 tam invehi ausus esset. Ergo capite trun-
 catur, & corpus trans fluvium pedibus
 suspenditur, horridum totius civitatis
 spectaculum. Id contigit Æra Hispaniæ
 889. seu anno reparatæ Salutis 851. die
 Mercurii, Junii tertia, qua Ecclesia hu-
 jus S. Martyris memoriam colit. Elapsis
 aliquot diebus ejus corpus cum corpori-
 bus Martyrum, qui præclarum ipsius
 exemplum secuti fuerant, combustum,
 & cineres in profluentem sparsi.

*Martyr. R.
3. Jun.*

§. LV.

*Sanctius, Petrus, Walabonsus
 & alii.*

Die Veneris, ejusdem mensis Junii *Enlog. II.
c. 3.*
 quinta, Sanctius quoque juvenis ca-
 pite plexus est, patria Albigensis, qui in-
 de olim captivus abstractus, & iterum
 libertati restitutus, Prætorianis deinde
 adscriptus Regis stipendia meritis fue-
 rat. Die Dominica, septima Junii sex *c. 4.*
 K k 2 alii

Sæculum IX. alii Christiani, Petrus, Walabonfus, Sa-
 A. C. 851. binianus, Wistremundus, Habentius &

c. 8.

Jeremias Martyrio coronati. Petrus pa-
 tria Astigitanus Cordubæ litteris operam
 * seu Niebla dederat. Walabonfus Eleplæ * natus
 Marianæ. erat, cujus parens, cum duxisset Mulie-
 rem Arabem, eamque ad Fidem Christia-
 nam convertisset, e patria migrare & in
 varias orbis partes fugere coactus fue-
 rat, donec Fronianum, exiguam in mon-
 te urbem, quatuor Leucis Corduba di-
 stantem, pervenit. Ibi uxor ejus satis
 functa gemina prole oneratum reliquit.
 Filio Walabonfus & filia Maria nomen
 erat. Parens filium Monasterio S. Fel-
 cis Fronianensis, sub Disciplina Salvato-
 ris Abbatis obtulit, filiam vero in Mona-
 sterio S. Mariæ Cuteclariensis Deo con-
 secravit. Abbate Salvatore defuncto
 Walabonfus ad patrem rediit, & de-
 inde Diaconus ordinatus, cum Petro
 Presbytero Monasterium fæminarum S.
 Mariæ Cuteclariensis prope Cordubam
 regere jussus est, Frugello Abbate, qui
 haud procul Congregationi Monacho-
 rum præerat, supremam omnium curam
 gerente. Sabinianus & Wistremundus
 Monasterii S. Zoili Armilati (ita dicti ab
 amne, in cujus ripa & vasta eremo, de-
 cem Leucis Corduba, qua Septentrionem
 spectat) distantis, alumni fuerant. Ha-
 bentius Cordubæ natus vitam Monasti-
 cam

cam amplexus fuerat in Asceterio S. Christophori, adversus Civitatem in ripa Sæculum IX.
A. C. 851.
Bætis amnis posito, ubi Reclusus dege-
bat; nam a nemine nisi raro & per fenestram conspiciebatur, & sub veste laminas ferreas carni admotas gerebat. Jeremias ille erat senex, Monasterii Tabennensis Fundator.

Sex isti Christi Pugiles ultro in conspectum Prætoris se conferentes uno ore clamabant: *Eandem Fidem tenemus ac Fratres nostri, cur non ad eandem penam abripi jubes? Jesum Christum Deum esse confitemur, credimus Propbetam vestrum esse Antichristi præcurso-rem, cæcitatem vestram dolemus.* Illico morti omnes addicuntur; & præterea Jeremias senio venerabilis, quod ceteris acrius in Mahometem invectus esset, priusquam necaretur, tam acerbe verberibus afficitur, ut viribus exhaustis in gradu suo stare non valeret. Ubi ad locum supplicii perventum, SS. Confessoribus mutuo se se ad constantiam exhortantibus, Petrus & Walabonsus primi carnifici cervices præbuerunt. Omnium deinde corpora palis affixa & post aliquot dies in rogam injecta. Cineres vero in fluvium sparsi. Horum sex Martyrum Ecclesia in die passionis suæ meminit.

Martyres
Cordubens.
ses.

Mart. Rom.
7. Jun.

Sæculum IX.

A. C. 851.

c. 5.

Diaconus quoque nomine Sisenandus corpus suum Martyrio obtulit, ad id faciendum invitatus, ut ipse fatebatur, a Petro & Walabonso, postquam in Cælum fuissent recepti. Is in civitate Pacis Augustæ natus, Cordubam, ut literis imbueretur, missus in Monasterio S. Aciscoli educatus est. Creditum, horam supplicii sui ipsi fuisse Divinitus revelatam; nam in carcere detentus, cum ad quemdam amicorum literas exararet, scriptis tribus quatuorve lineis exiit, & hilari vultu inchoatam Epistolam servulo responsum expectanti tradens, ait: *Effuge, fili mi! ne milites te comprehendant.* Mox etiam horrendum vociferantes intrant ergastulum, captivum educunt, atque colaphos incutiunt. Ergo Prætori sistitur, & constanter Jesum Christum confessus die Jovis, 16. Julii, eodem anno 851. in flore ætatis suæ interficitur. Corpus insepultum ante Palatii fores relictum. Sed diu postea, ossa Martyris inter saxa, quæ a fluctibus amnisolvebantur, opera mulierum piarum inventa, & ad S. Aciscolum sepulta sunt. Ecclesia hunc Martyrem in die, qua passus est, colit.

Mart. Rom.
16. Jul.

Prud. 4.

Steph.

Mart. Rom.

27. Jun.

Paulus Diaconus Cordubensis in Monasterio S. Zoili alumnus magna charitate captivis ministrabat (S. Zoilus vero Cordubæ cum aliis novemdecim sub Diocletia-

cletiano Martyrium passus, vigesima septi-
 ma Junii colitur) porro S. Sisenandi ex-
 empla & sermonibus excitatus Prætoris
 conspectum subit, & exprobrat, quod
 falsa Religione se decipi pateretur. In
 carcerem deinde conjectum rogavit Ti-
 berinus Presbyter Pacis Augustanus, ab
 annis viginti carceri, ob querelas nescio
 quas contra ipsum ad Regem delatas,
 mancipatus, ut postquam ad Dei conspe-
 ctum pervenisset, sibi libertatem obti-
 neret; quod se facturum Paulus promi-
 sit. Ipse deinde die Lunæ vigesima Julii
 Martyrii palmam consecutus est, & mi-
 rum! post paucos dies Tiberinus liber e
 carcere dimissus in domum suam rediit.
 Sabbato sequente vigesima quinta Julii
 Theodemirus juvenis Monachus Carmo-
 nensis certaminis campum ingressus &
 coronatus est. Qui ambo in Ecclesia
 S. Zoili uno sepulchro conjuncti sunt.
 Ambos etiam Ecclesia illis diebus, quibus
 passi sunt, honore prosequitur.

Sæculum IX.
 A. C. 851.

Mart. Rom.

20. & 25.

Jul.

§. LVI.

Flora & Maria.

In hac persecutione Divina Sapiencia
 Martyrii gloriam etiam infirmiori se-
 xui contulit. Prima emicat Flora in vi-
 co Ausiniano octo millibus a Corduba
 distito ex Matre Christiana & ex Patre

Eulog. II.

c. 8.

Kk 4

Musul.

Sæculum IX. Musulmanno, (*) qui Hispali advenerat,
A. C. 851. nata. Genitore morte sublato, pia ma-
 ter Sacræ Religionis legibus filiam im-
 buit, adeo feliciter, ut ad sanctitatem
 vitæ magnis passibus contenderet. Ad-
 huc dum adolescentula in quadragesima
 jejunabat, & furtim dabat pauperibus
 cibum sibi prandii hora a matre porre-
 ctum. Jam pene maximum abstinentiæ
 tempus elapsum erat, cum clandestina
 infantis devotio vix quibusdam indicis
 revelata est. Mater autem verita, ne
 jejunium tenellæ noceret ætati, vix con-
 tinuis comminationibus impetrare po-
 tuit, ut quidquam de isto rigore remit-
 teret. Primum quidem Flora passim Fi-
 delium interesse conventibus non aude-
 bat, eo quod frater suus, Musulmannus,
 ipsius facta omnia exploraret; sed po-
 stea illam veritatem edocta, necessarium
 esse, ut Fidem palam profiteamur, domo
 clam & in seia matre relicta, cum sorore
 sua ad Sanctimonialis, ubi tuto degere
 poterat, confugit. Frater conceptam i-
 ram in Christianorum capita effudit;
 nam effecit, ut quidam Clerici vinculis
 darentur, & scæminas illas Religiosas per-
 sequi cœpit. At Flora nullatenus id sibi
 feren-

(*) S. Eulogius, qui hæc scripsit, habet: *Pa-
 trem vero gentilem ex oppido habuit Hispa-
 lensi.* Biblioth. Maxim. To. XV.

ferendum existimans, ut propter se Ec- Sæculum IX.
clesia vexaretur, publice domum rever- A.C. 851.
sa ait: *En ego, quam quæritis. Cbri-*
stiana sum, & quæcunque tormenta pro
Jesu Christo sustinere parata!

Tunc autem frater Floræ, postquam ad eam pervertendam blanditias, minas, verbera frustra adhibuisset, ad judicem eam pertrahit, dicens: *Hæc soror mea, natu minima, Fidei nostræ, sicut ego, obsequium exhibebat; sed eam Christiani suis lenociniis perverterunt.* Prætor Floram interrogante, an res ita se haberet, illa respondit, se Christum ab infantia novisse. Illico Prætor furore accensus, virginem a duobus militibus manus ejus tenentibus extendi jubet, & tam durum in modum verberari etiam in capite, ut decisa cum cæsarie cute os verticis nudum pateret. Tum Prætor prope exanimem fratri reddit & præcipit, ut ejus vulnera curaret, Legem Mahometis edoceret, & ad se reduceret. Perductam deinde in domum suam frater domesticis fœminis fovendam & deinde pervertendam tradit, solícite cavens ne ulla fugiendi spes superesset. Nihilominus Flora, cum se sospitem esse sentiret, quadam nocte superato muro, licet admodum alto in tectum vicini tugurii reptat, unde in plateam desiliens, & tenebrarum beneficio usa, in domum cujus-

Sæculum IX. A.C. 851. dam viri Christiani pervenit. Corduba deinde excedens, ad vicum vulgo *Ossaria* dictum prope urbem Tuccitanam se contulit, ubi ad tempus cum sorore sua delituit. Tandem subeunte de novo Martyrii desiderio, Cordubam rediit, cumque in Ecclesia S. Aciscoli oraret & se Sanctis Martyribus commendaret, alia quoque Virgo nomine Maria ad orandum intravit.

Sup. n. 46.

Hæc erat Walabonsi Diaconi paulo ante Martyrio coronati soror. Cum Maria esset natu major, eam Walabonius amore & cultu prope filiali profecutus fuerat, & ea vicissim fratrem tenerrime amaverat. Huc usque illa in Monasterio Cuteclariensi permanserat, quo eam parens tradiderat sub Disciplina Sanctæ fœminæ Artemiæ, quorum duo filii Adolphus & Joannes ineunte Regno Abderami sanguinem pro Jesu Christo fuderant. Tunc vero vehementi desiderio exemplum fratris sequendi incensa relicto Monasterio Cordubam venit, ut mortem pro Christo quæreret. Ibi Ecclesiam S. Aciscoli intrat, Floram Dei nutu invenit. Tum communicatis consiliis amplectuntur, osculantur invicem, affirmant, nunquam fieri posse, ut altera ab altera avellatur. Sicque in tanto æstu sponte sua Prætoris conspectum subeunt. Et prior Flora: *En ego illa sum,*

sum, quam aliquando sævum in modum Sæculum IX.
 verberibus lacerasti, quod e semine Mu- A. C. 851.
 sulmannorum † procreata Christo tamen † Gentili.
 ad hæserim. Hætenus quidem infirmitate
 carnis delitui, nunc vero virtute
 Dei mei subnixæ Jesum Christum Deum
 esse profiteor, scelestum autem Pseudo-
 prophetam vestrum execror. Addidit
 Maria: Ego quoque, quæ inter sanctos
 Jesu Christi Confessores fratrem ha-
 beo, coram te profiteor, quod Christum
 Deum esse credam, & vestram supersti-
 tionem Diaboli esse inventum. Judex
 minaciter conclamans ambas abstrahi
 jubet in carcerem, in quo scorta custo-
 diebantur; ubi Sanctæ Virgines jejuniis
 & orationi incubuerunt.

§. LVII.

S. Eulogii initia.

Eulogius Presbyter, & ipse tunc tempo-
 ris in carcere detentus, cum Sanctas
 illas puellas novisset, atque ad ejus no-
 titiam pervenisset, quod etiam Christia-
 ni earum constantiam frangere niteren-
 tur, & ipsæ periclitarentur, scripsit ad-
 monitiones saluberrimas, iisque, ut con-
 firmarentur, transmisit. Ceterum Eu- vit. ap. Boll.
 logius Cordubæ ex Ordine Senatorio II. Mart. to.
 natus, & inter Clericos Ecclesiæ S. Zoi- 7. p. 91.
 li nutritus, virtute & Doctrina inter so-
 cios eminuit; tum majoris profectus de-
 siderio

Sæculum IX. siderio in aliis quoque locis Magistros
A. C. 851. fama celebres inquisivit, & inter alios
 Abbatis Speraindeo, quem doctorem e-
 ximum tota provincia suspiciebat, di-
 scipulus fuit. Ubi ad maturiorem æta-
 tem pervenit, Diaconus & paulo post
 Presbyter ordinatus ad Doctorum gra-
 dum evehitur; quippe in Ecclesia Cor-
 dubensi Schola erat illa ætate celeberrima.
 Exinde Eulogius majorem vitæ ri-
 gorem amplexus Sacræ Scripturæ studio
 vigiliis & jejunia jungebat. Sæpe ad
 Monasteria divertebat, ut magis magis-
 que in virtutibus proficeret, & postquam
 cuncta illa Asceteria a Cordubensi Civi-
 tate haud procul remota iustrasset, in i-
 tinere, quod ei in Franciam anno 844.
 suscipiendum fuit, ad omnia Monasteria
 in vicinia Urbis Pampelonensis posita
 perrexit. Inde reversus complures li-
 bros tunc temporis vilipensos & prope-
 modum ignotos, quales erant, Civitas
 Dei S. Augustini, Virgilio Æneis, Hora-
 tii & Juvenalis Satyræ & aliquot Chri-
 stianorum Hymni, attulit. Profectio-
 nem quoque ad Urbem Romam in spi-
 ritu pœnitentiæ & ad delenda juventu-
 tis suæ peccata obire animo constituerat;
 sed cum ab hoc proposito amici dimo-
 verunt.

Persecutione in Christianos commo-
 ta, quidam Episcopus nomine Reccafre-
 dus

dus Martyribus adversari cœpit, quo etiam postulante carceribus dati sunt Episcopus Cordubensis cum quibusdam aliis, & complures Presbyteri, e quorum numero erat Eulogius, tanquam ille, qui Martyres in proposito editis libris confirmaret. Tunc igitur composuit illam exhortationem ad subeundum Martyrium, Virginibus Floræ & Mariæ inscriptam, in qua inter alia leguntur hæc verba: *Comminatur certe hostis, vos publice in foro venundandas & prostituendas; sed procul sit tantum ab appetitu animi perniciofa consensio, quia tunc non polluet mentem aliena corruptio, quam non fœdat propria delectatio.* Deinde persecutionem describit in hunc modum: *Repleta sunt penetralia carceris catervis Clericorum, Laudes Divinas ibi cantantium, deserta sunt templa, araneæ parietes tegunt, cuncta tenent silentium. Non Sacerdos tibus infert Altaribus, cessarunt Divina Officia. Et post alia: Qui vos expugnare tentant, vobis ob oculos ponunt hanc Ecclesiarum solitudinem, & quod non sit nobis in hoc tempore Sacrificium (nempe erant, qui suadebant, cedendum & dissimulandum ad tempus, donec iterum liberum Sacrorum exercitium permetteretur) verum, inquit Eulogius, Sacrificium Deo acceptabile est cor contritum. Non licet*

Sæculum IX.
 A. C. 851.

Docum.
 Mart. to. 8.
 Bibl. PP.
 Paris. p. 445.
 p. 446.

S. Eulogii
 Epistola.

p. 448.

Sæculum IX. cet vobis retro respicere, & veritatem,
A. C. 851. quam confessæ estis, negare.

to. 8. Bibl.
 PP. 443.

‡ Legerensi.

Ex eodem carcere S. Eulogius data ad Willelindum Episcopum Pampelonensem prolixa Epistola gratias agit, quod se in Franciam iter facientem maxima charitate excepisset hospitio. Monasteria, ad quæ in illo itinere divertit, nominat, & primo Monasterium S. Zachariæ ad radices montium Pirenæorum prope Aragum flumen situm, Disciplina Regularis observantia toto Occidente celebratum. Illa Congregatio pene centenarium numerum excedebat, cui tunc præerat Odoarius Abbas summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir. In ea operabantur omnes diversis artibus intenti, silentium & obedientiam exacte servantes. Eulogius aliquot diebus commoratus est in Monasterio Leirensi, † ab Ignigo Arista primo Navarrae Rege constructo, sub Regimine Abbatis Fortunii, cujus orationes in fine Epistolæ expetit, aliorumque quatuor Abbatum, quorum Monasteria vix nota sunt.

In illa etiam Epistola Eulogius complures Episcopos nominat, ad quos iter faciens diverterat, scilicet, Seniorem Cæsaraugustanum, Sifemundum Segontiensem, Venerium Complutensem, Wistremirum Toletanum, senem venerabilem, quem totius Hispaniæ lucernam appellat.

pellat. Quod Religionem Catholicam Sæculum IX.
 etiam sub Dominatione Musulmannorum A. C. 851.
 viguisse comprobat.

Eulogius Willelindo S. Zoili Reliquias, quas ei dare pollicitus fuerat, mittit, additque alias S. Aciscoli. Enarrat persecutionis Cordubensis modum, & nomina omnium Martyrum, qui passi fuerant, initium ducens a Perfecto Presbytero usque ad Theodorum Monachum, notat. Hæc Epistola decimo septimo Cal. Dec. Æra 389. id est, 15. Nov. anno 851. data est.

Interim Judex Cordubensis, instigante Floræ fratre, eam ipso præsentem adduci jubet, & interrogat, num eum novisset. Illa: *Novi, est frater meus secundum carnem.* Rursus Judex: *Unde ergo ipse Religioni nostræ fidelis est, & tu Christiana?* Flora respondit: *Annis abhinc octo Majorum nostrorum errorem sequebar cum fratre; sed nunc, postquam Deus mihi veritatem revelavit, statui decertare usque ad mortem.* Judex: *Quæ tibi vero hodie sententia est de illis, quæ ante non longum a deo tempus ad me dixeras?* Flora putans, sermonem esse de conviciis contra Mahometem prolatis, edixit, se etiam illis pejora effari posse. His, jubente Judice, in carcerem reducit. Statim autem Eulogius, qui in illo etiam carcere detinebatur.

*Eulog. ep.
ad Alu. p. 464*

S. Flora Virgo Martyr.

*Memor. II.
c. 8.*

neba-

Sæculum IX. nebatur, ad claustra illarum proxime ad-
A.C. 851. motus sciscitatur, quid interrogasset

Prætor, & quid illa respondisset. Ex-
inde post decem duodecimve dierum
spatium vigesima quarta Nov. Flora &
Maria ad locum supplicii ducuntur; ipsæ
signo sanctæ Crucis se in vultu muniunt,
& primum Flora, tum Maria gladio fe-
riuntur. Corpora canibus devoranda
& volucris discerpenda ibi relicta, &
alio die in flumen projecta. Et cada-
ver quidem Mariæ inventum, atque ad
Monasterium Cuteclariense, unde egres-
sa fuerat Martyrium in votis habens, de-
latum, at, quo corpus Floræ pervene-
rit, ignoratur, sed ambarum capita ad
S. Aciscolum Cordubæ recondita. Ec-
clesia has Virgines, sanctarum Marty-
rum numero adscriptas, die ipsa Marty-
rii honorat.

Mart. Rom.
24. Nov.

Eulogius ceterique Christiani capti-
vi, percepto SS. Virginum Martyrio,
Gratias illico in officio ad Nonam Deo
agunt, & continuo in earum honorem
Vesperas, Matutinos & Missam, se earum
precibus commendantes, celebrant. Ec-
ecce! elapso sex dierum spatium, vigesi-
ma nona Novembris, e carcere liberan-
tur, sicut SS. Virgines promiserant.
Nam ad aliquas amicarum suarum dix-
erant, se, quamprimum ante Thronum
Jesu

Jesu Christi pervenirent, pro libertate Fratrum suorum intercessuras. Sæculum IX.
A. C. 852.

Haud multo post tempore Gumesindus & Servusdei fortiter pro Jesu Christo sanguinem dederunt. Gumesindus Toleti natus, Cordubam necdum pueritiam egressus a Patre & Matre adductus, & Deo oblatus est. Inter Clericos trium Martyrum Fausti, Januarii & Martialis, quos Ecclesia decima tertia Octobris colit, educatus, atque Diaconus postea & Presbyter ordinatus, Ecclesiæ rurali, etsi juvenis esset, præficitur. Is igitur cum in urbem & in conspectum Judicum cum Servusdei juvene Monacho Recluso se contulisset, ambo sicut alii decima tertia Januarii, Æra 890. seu anno reparatæ salutis 852. martyrio afficiuntur. Mem. c. 9.
Mart. Rom.
13. Octob.

Ecclesia eorum memoriam ea die, qua passi sunt, agit.

§. LVIII.

Scripta alia de Prædestinatione.

In Francia Hincmarus & Pardulus Regis Caroli amicorum intimi, cum æqua mente ferre non possent, quod Doctrina de gemina Prædestinatione Scriptis Prudentii, Lupi & Ratrami defenderetur, ut alios Scriptores opponerent, quemdam Diaconum, nomine Amalarium, cujus opus non superest, & Joannem Maug. diff.
c 18. Lup.
Fer. ep. 12.

Hist. Ecclesiast. Tom. XI, LI nem

Sæculum IX. nem cognomento Scotum, seu Erigenam, A. C. 852. id est, Hybernum, calamum stringere jusserunt. Erat vero Erigenæ statura corporis admodum exigua, excitatissimum ingenium & perspicax. Dialecticæ & Philosophiæ humanæ egregiam operam navaverat, sed modicam in Theologicis acquiserat scientiam. Linguae Græcæ gnarus, opera S. Dionysii rogatus a Rege Carolo in Latinum transtulit; nam postquam relicta patria in Franciam transit, inter hujus Regis familiares adlectus, eique individuus socius tam mensæ quam cubilis factus est. Edidit ergo Joannes Tractatum de Prædestinatione, inscriptum Hincmaro & Pardulo, quibus in exordio gratias agit, quod sibi honorificam provinciam, suo calamo Fidem Catholicam defendendi, detulerint. In hoc Opere, quod in Capita novemdecim divisit, ex subtilissimis Dialecticæ principiis probare conatur, unicam dari prædestinationem, nempe Electorum, cumque peccatum & pœna non res, sed rei solummodo privatio, sint, hanc in sensu proprio nec prædestinari, nec prævideri posse. Sæpe citat S. Augustinum, putatque ipsius Auctoritate suam opinionem communiri.

Hoc Libro in lucem edito, Venilo Archiepiscopus Senonensis inde Excerpta, pariter in novemdecim Articulis divisa,

Math. West.
n. 883.

Maug. to. 1.
p. 109.

n. 15. 16. &c.

divisa, Prudentio Episcopo Trecensi mi-
 fit, rogans, ut errores refutaret. Credi-
 dit Prudentius in hoc Tractatu Errorem
 Pelagii, Origenisque contineri, & exhor-
 rescens, ut rem penitus exploraret, to-
 tum Joannis librum quæsit, quo perle-
 cto, Auctor Pelagii hæresi omnino infe-
 ctus ipsi visus est. Ergo eum refutare
 aggreditur anno 852. edito Tractatu cum
 eodem titulo, de Prædestinatione, pari-
 terque in Capita novemdecim diviso, in
 quo verba Joannis simpliciter referens
 eadem illo ipso ordine, quo occurrunt,
 refellit; Gotteschalcum autem non de-
 fendit. Ubique Auctoritate Patrum,
 præsertim S. Gregorii, S. Hieronymi,
 S. Fulgentii & S. Augustini nititur.

Cum eadem Excerpta Joannis Scoti
 Lugdunum fuissent delata, visum est il-
 li Ecclesiæ necessario esse respondendum,
 atque eam provinciam commisit Floro
 Diacono, jam tempore Agobardi Docto-
 ri celeberrimo, cujus non modo alia ad
 nos pervenerunt Opera, sed etiam olim
 scriptus de Prædestinatione sermo extat.
 Ejus vero Scriptum contra Joannem
 Scotum Tractatui quem Prudentius com-
 posuit similis est. Omnes propositiones
 Adversarii sui ad examen vocat, sophis-
 mata refellit, duplicem (*) prædestina-
 tionem

Sæculum IX.
 A. C. 852.
Prud. præf.
ibid. p. 194.
 Prudentius
 contra Joan-
 nem.

v. Sirm. ad
avit. p. 60.
Baluz. ad
Amol. p. 150.
Maug. to. I.
p. 585.

L I 2

(*) Prædestinatio ad mortem alia non est,
 quam

Sæculum IX. tionem, liberi arbitrii fragilitatem, &
A.C. 852. Gratia necessitatem asserit. De Gotte-
 schalco loquitur in hunc modum: *Ne-
 scimus, qua iudicii forma hic misera-
 bilis Monachus damnatus & aliquot ab-
 hinc annis in carcerem detrusus fuerit.
 Si quidquam usque adeo periculosum
 contra Fidem docuit, ut hoc modo in
 Synodo puniri mereveretur, more antiquo
 ceteras quoque hujus Regni Ecclesias
 per Epistolas Synodicas hujus rei cer-
 tiores facere, saltem post ejus condemna-
 tionem oportuisset.*

§. LIX.

*Epistola Amolonis ad Gotte-
schalcum.*

*Ap. Agob.
to. 2. p. 149.*

Ipfemet interim Gotteschalcus Scriptis
 suis opera cujusdam Monachi ad Amo-
 lonem Archiepiscopum Lugdunensem
 missis instantissime rogavit, ut ea lege-
 ret. Amolon his acceptis diu delibera-
 vit, an respondendum sibi esset homini
 excom-

quam Reprobario negativa antevertens pecca-
 tum personale. Nam in eodem Decreto aliqui
 relinquuntur in massa perditionis & excludun-
 tur a Gloria, in quo alii misericorditer eligun-
 tur, & sicut Decretum istud antecedit prævi-
 sionem meritorum, ita etiam prævisionem pec-
 catorum. Mezger, Tract. de Deo Uno.

excommunicato, quod sine contemptu Sæculum IX.
 Episcoporum, qui eum damnaverant, A. C. 852.
 fieri non posse videbatur. Econtra cre-
 debat, charitatem Christianam lædi, si
 Monachi miserabilis preces rejiceret. Er-
 go viam mediam ingredi statuit, & sic
 scripsit Gotteschalco, ut tamen Epistola
 ad Hincmarum ipsius Metropolitanam di-
 rigeretur. In ea ad ipsum Gotteschal-
 cum inquit: *Cum adhuc versareris in
 Germania, pessimus de te rumor ad au-
 res nostras pervenit; nova dogmata te
 spargere, & questiones insolentes agi-
 tare. Postea vero partim a te ipso,
 partim ab aliis complura tua Scripta
 accepimus, ex quibus errores tuos clare
 perspiciamus.*

Hos errores deinde Amolon recen-
 set, & in septem Articulos redigit. Pri-
 mo, nullum illorum, qui Jesu Christi
 sanguine redempti essent, perire posse.
 Secundo, Baptismum, Evcharistiam ce-
 teraque Sacramenta tantummodo in spe-
 ciem illis, qui perituri essent, dari, & in
 illis, quod tertium caput est, nullum ef-
 fectum producere; ita ut quamvis ex-
 terne baptizati fuerint, & alia Sacramen-
 ta acceperint, nunquam tamen membra
 Ecclesiæ fuerint. Quarto, Reprobos ita
 ad malum prædestinari, ut nullus eorum
 unquam salvari possit, quasi vero præde-
 stinatio necessitatem peccandi impone-

Sæculum IX.
A. C. 852.

ret. Quinto, prædestinationem reproborum ad interitum æque irrevocabilem esse ac Deus immutabilis esset. Sexto, Deum & Sanctos de interitu reproborum lætari. Tandem Amoloni minime probabatur, quod Gotteschalcus Episcopus sibi adversantes conviciis insectaretur, Hæreticos vocaret & Rabanistas, in contemptum Rabani, doctissimi & summe venerabilis Episcopi. Hortatur, ut religiosæ humilitatis memor Auctoritati Episcoporum se submitteret, & sic in sinum Ecclesiæ redire posset. Hæc Amolonis Epistola anno octingentesimo quinquagesimo secundo data creditur.

Maug. diff.
c. 22.

p. 179.

Ex ista Epistola dispicitur, Gotteschalcum non semper ea moderatione usum fuisse, quæ ex ejus Confessionibus Fidei apparet, atque ex suo principio de prædestinatione reproborum consequentia pessime sonantia eruisse; quippe omnes dictæ Propositiones ab Amolone notatæ inde sequuntur. Huic etiam Epistolæ conjunctum est fragmentum alterius, quæ Amolonis ad Hincmarum esse creditur, & in qua de Prædestinatione, de Gratia, & Libero Arbitrio secundum S. Augustini principia agit.

§. LX.

Civitas Leonina.

Anast.

Hoc anno 852. Pontificatus sui sexto
Leo

Leo IV. novam Civitatem, quam ^{Sæculum IX.} circum Ecclesiam S. Petri ædificabat, ab- ^{A. C. 852.} solvit, & solemnè ritu vigesima septima Junii dedicatam de suo nomine Leoninam appellavit. Congregatis multis Episcopis & omnibus Clericis Romanis Litaniam, Psalterium, Hymni, Cantica decantata, cuncti nudis pedibus, aspersis capiti cineribus mœnia circuierunt, Papa aquam ab Episcopis Cardinalibus benedici jussit, qua muros in transitu lustrabant. Ipse tres Orationes ad singulas novæ urbis portas pronunciavit. Missa deinde in Ecclesia S. Petri celebrata, cuncto populo, Romanis pariter ac peregrinis plurima dona aurum, argentum, pannos holosericos, munifice distribuit, sicque dies illa summis infirmisque jucundissima Romæ exacta.

Interim Papa ad communiendam etiam adversus incursiones inimicorum Civitatem Portuensem animum adjece- rat, cum ei magnus occurrit Corsorum numerus, quibus ob metum Saraceno- rum e patria profugis nullibi sedes stabili- lis erat. Hi postquam suas ærumnas Pontifici exposuissent, promiserunt, se suosque nepotes Papæ fideliter servituros, si reciperentur. Ille advenis civi- tatem Portuensem bene munitam, vineas, prata, fundos culturæ idoneos, bo-

Sæculum IX. ves, equos, pecora obtulit, si cum uxori-
 bus & liberis ibi sedem figerent. Tum
 Corsis conditiones acceptantibus Papa
 iisdem Præceptum, id est, Decretum do-
 nationis, Lothario & Ludovico Impera-
 toribus consentientibus, dedit. Fundi
 ipsis concessi ad Ecclesiam, ad Mona-
 steria, ad diversos privatos
 pertinebant. (*)



(*) Der siebente Theil der deutschen Uebersetzung kömmt lang nicht zum Vorschein. Der Krieg soll daran schuldig seyn; vielleicht ist aber eine andere Ursach da. Ja wenn er ferner diese Arbeit gar unterliesse, würde er seiner Kirche und Glaubensbrüdern einen ausnehmenden Dienst erweisen. Denn es ist einmal etwas seltsames, daß sich ein aufrichtiger Protestant habe können zu Sinn kommen lassen, die Kirchengeschichte eines Römischkatholischen Schriftstellers zu übersetzen, welcher das Lehrgebäu in der Religion auf den unumstößlichen Satz gründet, daß alle diejenigen Gemeinden, die sich jemal von der Römischen Kirche getrennet, irrglaubig seyen. Fleury in der Vorrede.

HISTO.